
6
20-a
6
12
E
11

RELIQVIÆ POETICÆ
R. P. VITALIS THERONI,
Soc. IESV Presbyteri,

AD

EMINENTISSIMVM CARDINALEM

MAZARINVM,

BERNARDVS THERONVS,
SENATOR TOLOSANVS,
Authoris ex Fratre Nepos

DISPERSAS COLLEGIT, ET prælo datas communi Literarum bono publicavit.







TOLOSÆ,
Excudebat I. BOVDE, Regis, & Comitiorum Linguæ Occitanæ Typographus.

M. DC. XLV.



EMINENTISSIMO CARDINALI MAZARINO.



RELIQVIAS Poëticas R. P. Vitalis Theroni, Societ. IESV Presbyteri, Patrui mei, veteres quidem illas, & laceras; sed ſpirantes adhuc tamen, & nativâ ſuâ venuſtate non omnino deſtitutas, offero tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, vt quâ fruuntur vitam, & quam habituræ ſunt aliquando nominis exiſtimationem, ſi per Te ſperare poſſunt aliquam, acceptam referant indulgentiæ tuæ, qui ad certam perniciem deſti-



natas à patre, servasti, & commendatione tuâ salvis esse vitalibúsque tribuisti: Et ille quidem, pares Operis & author, decreverat omnino abijcere prolem istam ingenij suam, &, quod Imperatores Romani per Leges nostras Patribus fas esse voluerunt, ut liberos, etiam sanguinolentos, pro patria potestate distraherent, ipse quoque abdicare sobolem istam, &, quod sævitiæ majoris erat, aut in vinculis habere semper apud se, aut ignominiâ notare; nisi Tu, CARDINALIS EMINENTISSIME authoritate tuâ, & quasi quodam præjudicatæ approbationis interdicto vetuisses. Nam simul atque relatione Virorũ illustrium intellexi, postremum ejus carmen de Baptismo REGIS CHRISTIANISSIMI, Te Susceptore celebrato nuper editum, & inscriptum Nomini tuo, placuisse tibi: statim cogitavi

de

de colligẽdis iſtis Reliquijs,& quod ſuper-
erat, diſtractos ſpecioſi cadaveris artus in unum corpus redigere. Verum ut exiſtimavi in neminis alterius clientelam venire juſtius poſſe, quàm tuam, qui vitam eis libertatémque tribuiſti, ita nunc eas, ſi per Te licet, CARDINALIS EMINENTISSIME, in ſinũ bonitatis tuæ repono, ut unde ſalutem habuerunt, ibi foveantur amœnius, & univerſa hæc, qualis qualis eſt Poëticæ facultatis familia, veniat in tuam poteſtatem, liberíque ab interitu vindicati, laudationi tuæ, quaſi nexu mancipióque vincti pro ſua tenuitate deſerviant. Quod ſanè præſtabunt, vt debent, officioſè, & ſe totos, induſtriámque ſuam omnem, Tibi pro veteri clientelarum inſtituto, laudúmque tuarum commendationi contribuent. Laudabunt alij (quos ætas hæc habet elegantes ſcribendi, dicendíque Magiſtros)

Oratores, Historici, Poëtæ, gloriam nominis tui, virtutis constantiam, magnitudinem animi, mentísque sagacitatemquibus, quasi gradibus ad fastigium existimationis tantum ascendisti, ut LVDOVICVS XIII. gloriosissimæ memoriæ Iustus idem & æquissimus meritorum æstimator, dignum censuerit, quem supra cæteros Sapiẽtes (quibus, & multis, & clarissimis utebatur) Filio suo, non lustralem modo Parentem, sed prope Custodem Regiæ Maiestatis tutelarẽ, Regníque totius Curatorem & Principem Ministrum suprema voluntate designaret. Laudabunt magnificentissima, quæ ex hoc fonte propè manarunt uniuersa, Regis semper-Augusti, Galliæque florentis ornamenta, repressam ferocissimorum hostiũ audaciam, Socios ab injuriâ defensos, bella feliciter gesta, perennes Ducũ nostrorum victorias, pro-

latos Imperij fines, fundatámque toto regno Provinciarum, Civiúmque ſecuritatem: addent ſuper his colendæ Pietatis, inſtaurandæ Religionis, aſſerendæ Iuſtitiæ, publicæque Quietis & Opulentiæ procurādæ ſolicitudinem, uno verbo, Felicitatem ſæculi glorioſiſsimè prædicabunt. Reliquijs iſtis Poëticis tenuibus, & obſoletis illud unum ſupererit, ut quotidiana tuæ comitatis humanitatíſque miracula explicent, & incredibilem, quæ in excellentiſsimæ vitæ tuæ ſplendore peculiariter eminet, humanitatis morúmque ſuavitatem, totis paginis, verſibúſque commemorent. Sed illam in primis, quam religioſiſsimè venerantur, dicent benevolentiæ tuæ Maieſtatem, quâ Societatem IESV, Eruditorum & Religioſorum Patrum familiam (quæ authori ſuo parens eſt) complexus es ſemper, hodiéque complecteris adeò

peramanter, vt (quod ipſi paſsim apud omnes conſtanti ſermonum, ſcriptorum, obſequiorũque profeſsione deprædicant) in atrocibus adverſarum tempeſtatum procellis ad Eminẽtiſsimæ Dignitatis tuę fulgorem, tanquam ad ſalutares Caſtoras, curſum intendere; atque in ſacrâ tui Favoris anchorâ ſpem certam, præſidiúmque collocare patiaris. Ita liberis edixit ſuis author operis & parens Patruus meus, qui hoc ſolo nomine paſſus eſt eripi ſibi de manibus fœtus iſtos ingenij ſuos, quod intellexit, hanc conſilij mei mentem fuiſſe, vt nunquam in publicum prodire permitterem, niſi ſub ſplendidiſsimi nominis tui Sole, Purpuræque fulgore apparerent. Quod ut facio lubenter, ita ægerrimè fero, in tantâ excellentium ſcriptorum contentione, qui laborioſas, eruditáſque lucubrationes tibi de ſuo certatim offerunt, nihil à me con-

ferri quod censeri possit meum: quamquam & hoc ipsum, quod appendo Gloriosissimæ sempiternæque Mazarini Nominis Memoriæ, domesticum, & optimo quidem jure meum esse non inficiabitur, qui & colligendarum Reliquiarum, & ornandæ Virtutis tuæ solicitudinem, & communem cum Patruo tui colendi venerandique propensionem expendet. Verùm facilè patiar, vt desinat esse meum; si Tu CARDINALIS EMINENTISSIME, pro solenni tuâ, quâ supra cæteros mortales excellis comitate, patiaris esse tuum, & me in amplissimam Eminentissimæ Celsitudinis tuæ clientelam admissum esse volueris

Eminentiæ tuæ devotissimum
veneratorem & servum,

DE THERON.



EIDEM
Cardinali Eminentissimo.

DISTRACTVS, laceráque Senex cum prole peribat
Patruus, & blattis esca futurus erat.
Collegi, salvisque, tui splendore Favoris
Relliquijs Musæ nobilis esse dedi:
Vt meus in vivo Patrui qui pectore vixit,
Nunc etiam in memori Codice vivat Amor.
Veriùs, ut lucem Masarino *è murice sumat,*
Quem vetat æternâ nocte latere Nepos.
Ac veluti rutilo, liquidi super æquore cæli,
Illustres Maculæ Solis in ore nitent:
Talis & ipse tuo Patruus clarescat in ostro,
Et nævos tanto diluat igne suos.

DE THERON, Sen. Tolos.

R. P. VITALI THERONO,
Poëtæ venustissimo.

EN mundus sacer Aonidum, Phœbique supellex
Regia, divitibus pellucens gaza locellis:
Heic ubi Romani populatus prædia Pindi,
Acribus ingenij curis, & Apolline dextro
Aurea deposuit sapiens æraria Vates;
Digessitque suis opulenta peculia chartis.
Quam totus micat hic, radijsque illustris amœnis
Ardet, & innumeris se Phœbus honoribus ambit.
Nec magis ille DEVM referens, nec pulchriòr olim
Claruit, Argivis cum Pergama capta Mycenis
Subderet, & Trojam Latijs imponeret oris.

DELONG DEGARAC, Sen. Tolos.

V. C. BERN. THERONO,
SENAT. TOLOS.
OB RELIQVIAS PATRVI
Poëticas ab interitu vindicatas.

ITE, nimis sævi moritura Poëmata Patris,
Ni Pietas miseris alma tulisset opem.
Et vos ille quidem flammis abolere parabat,
Et dites nitidæ perdere Mentis opes:
Sed Pius eripuit ferali Carmina busto,
Aspersitque novo lucis honore Nepos.
Ite igitur, neque sævitiæ damnate Parentem,
Nec sceleris: culpam non habet iste rigor.
Non odium vestri, sed amica Modestia, totum
Crimen, & in tuto velle latere, fuit.
Vivetis tamen: & duri post funera Patris,
His quoque Relliquijs Fama superstes erit:
Quam dabit annosæ Vitalis Gloria Musæ,
Iámque dedit Patrui gloria prima Nepos.

DE PVYMISSON, Sen. Tolos.



AD POËMATA
R. P. VITALIS THERONI
Poëtæ elegantis, & Christiani.

INCESTOS Superûm mores, vultúsque ferinos,
Semicanésque Deos, semideósque Canes,
Monstra poli, veteres cecinerunt carmine Vates:
Quo procul offensus rettulit ora dies.
At meliore manu, & sanctâ Theronius arte,
Ac plusquam Aonio Numine pangit opus:
Mollibus atque diem numeris, cantúque moratur,
Et prope Phœbeas supprimit ore rotas.
Quæ Doctrina, sacro Reverentia quanta Poëtæ!
Quámque gravi dulces cum Pietate modi!
Quàm blanda est Virtus, quam castigata Venustas!
Infert Pieriјs Thero Siona jugis:
Expiat & Phœbum, Christíque in Nomen adoptat,
Castalióque novem tingit in amne Deas.
Debet hyanthæis Vatum sacra turba Camœnis,
Si quis ab illustri carmine venit honor.
Theroni debent Heliconia Numina Musæ,
Quod licet & pulchris, & simul esse pijs.

SANBLANCATVS.



AVGVSTISSIMI PRINCIPIS VIENNENSIVM DELPHINI BAPTISMVS.

Ad Eminentisſimum Cardinalem MAZARINVM.

SACRA facit canus ſolenni in veſte Miniſter,
Et tenuem aſpirans Pueri ſuper ore vaporem,
DELPHINO caput aſpergit, ſanctóque liquore
Abluit antiquo maculoſam crimine mentem.
Felices populi, nitido quibus aureus ore
Surgit, & Auguſtus ſignat nova ſecula DELPHIN.
Præſentes animis, linguíſque faventibus eſte,
Votiváſque faces, & qui laquearibus aureis

Ante Deum multi pendent, accendite lychnos.

Iam grauis exsuccos LODOICI coxerat artus
Febris, & ardenti cupidè succedere cœlo,
Mens oculo propiore Deum fruitura parabat:
Cùm pia tot Proavis decus addita Regibus ANNA,
Tot Reges habitura, dato DELPHINE, Nepotes,
Aspecto gemuit lacrymans Regina marito.
Ac veluti dira cùm fixit arundine pectus,
Aut matutinus catulos Venator abegit,
Nobilis insano frendet clamore Leæna:
Ipsa quoque immiti mentem traiecta dolore
Rugiit, & Puerum gremio complexa madenti,
Quid fugimus, FILI? Sponsúmque, Patrémque sequuti
Illustri dubitamus, ait, succumbere letho?
Quin læti morimur? vel, si prohibemur, eodem
Mœrentes placidè tegimur cum REGE sepulcro?
Audiit arguti voces plangoris acutas;
Et tales HEROS animâ fugiente gementi
REGINÆ dedit illacrymans, NATOQVE loquelas.
Viuite felices lætis successibus annos,
Aspectúque DEO, Soles palantibus este
Ciuibus, & cæcas mœrorum auertite noctes.
Viuite concordes Animæ, blandóque tenore
Florentem chari superis producite vitam:
Ac memores diros turbarum exscindere vepres,
Et colere annosas media inter Lilia Lauros,
Illustrem stabili Pacem fundate trophæo;

Tu veniam dare supplicibus REGINA memento,
Et Puerum nostri pretiosum pignus amoris,
Formosos Regum mores, artémque docere,
Quæ scelerum vltrices Pietate emolliat iras,
Et canis Lauros virides innectat Olivis.
Tu quoque sollicita cultu Genitricis amœno
Cresce Puer, Patriaque Patrem, Pacísque sequestrum
Disce triumphatis Regem præstare Tyrannis.
Sed priùs infuso Divinæ aspergınis imbre
Incipe cœlestem, partu meliore renatus,
Adlectúsque DEO, sine noxa ducere vitam.
Dixerat: extemplò Proceres, linóque dècori
Procedunt, & sacra parant Lustralia Mystæ.
Splendidus antè alios, cinctû MASARINVS odoro,
Romaníque micans rutilo splendore Galeri
Apparet, Puerúmque manu deducit euntem;
Et sacram applicitum sistit veneratus ad aram.
Quinetiam Superos cœlo venisse frequentes
Dicitur, & Volucres, ardentia Numina, Divos,
(Numina quæ Regum trabeas & iura tuentur)
Ignibus Infantem placidè tetigisse serenis,
Regiáque illustri micuisse per atria fumo.
Quos inter, nitidis MICHAEL pulcherrimus alis,
Ille Parens, populíque salus fidissima Franci
Splenduit, & clausi reserans signacula fati,
Protulit hæc sacris impressa Oracula chartis.
Iam redit, & seclis iterùm felicibus ætas

Aurea, iactatam bellorum turbine Pacem,
Oppressámque Fidem tutâ statione reponit.
Et Francis iubet æternùm consistere terris.
Iam pluvio cœli facies clementior auro
Stillabit, rutilíque novum DELPHINIS *ad ortum*
Mitior in terras blandos iaculabitur ignes.
Macte novâ virtute Puer, simul insita cordi
Creverit, & teneros flamma induraverit artus;
Protinùs intextas Phrygio subtegmine vestes,
Et chelyn, & talos, & moscum, & lenta perosus
Otia, thoraces humeris aptabis ahenos:
Et galeas, & equos, & ephippia sola loquêris:
Exosúmque probo ferrum mercaberis auro.
Nec mora purpureis Crucibus, Francísque decorum
Floribus attolles Labarum, lectámque ciebis
Clangentum sonitu lituorum ad signa Iuventam,
Et validam attonito deducens æquore classem,
Indices trucibus bella immortalia Turcis.
Iam volat; & Ioppen celeres tenuêre carinæ,
Auratísque nitens Gallorum exercitus armis,
Castra Palæstino metatus littore fixit.
En, vt dispulsis Franci legionibus instant,
Et patulos mergunt fugientum sanguine campos
Vt trepidat, vacuámque Tui formidine Mecham
Desertâ petit infelix Othomanus Idume:
Vt tua Te Solyme portis invi tat apertis,
Et seruata tuum sequitur Iudæa triumphum.

Tons

Totus Io circùm strepitu Iordanis amœno
Personat, & Zephyris percussi mollibus Hermon,
Carmelúsque tuas laudes, Libanúsque loquuntur.
Responsant nemora, & plausus imitata sonoros
Plaudit inaccessis ludens in rupibus Echo.
Quid resides? multáque animum Pietate madentem
Ebrius, eversa cessas ignavus in urbe?
Ire iubent Superi, celsas vt Chalcidos arces,
Et dites Arabum casias, & Memphin, & omnem
Eripias Mauris prædonibus Hellespontum,
Totúmque Ægæo Mahumeten æquore mergas.
Jnde triumphatis dubio certamine Parthis,
Extremos etiam victor meditaberis Indos:
Caucaseásque nives, & fulminis ocyor alis
Euphratem, rapidúmque procul transgressus Orontem,
Inter Erythræos dispones Lilia flores,
Eoísque caput cinges, & brachia palmis.
Intereà dum bella tuos, curæque triumphos,
Et reditum cautes, pelagúsque immite morantur,
Securis Regina Parens circùm otia ponet
Finibus, & longâ perfundet Lilia Pace.
Nec tamen ignotas, laudum speciosa cupido,
Pugnarúmque fames, PLVS VLTRA, quærere terras
Vrgeat, & molleis gelidi trans avia montis
Mœnia, Sinarum populos, vastoque natantes
Oceano cogat Iappanum incessere gentes.
Vincat amor Patriæ, Matrísque in Prole timentis

Irrequieta Tibi pectus suspiria tangant.
Sed redit, & toto dominatrix æquore Classis
Prædarum saturas acies, REGEMQVE decoro
Pulvere sordentem patriâ tellure reponit.
Cerno triumphalem, rutili qua fulguris instar,
Mille loquax linguis rapido volat impete, Famam
Ire per attonitas dubijs rumoribus urbes,
Et Domini reditum, populis; Natique salutem,
Vernantésque genas cupidæ narrare Parenti.
Erumpit saliens thalamo Regina, levésque
Matris amor celeri cursu prætervolat Euros.
Et reducem complexa sinu, complexa valentem
Carpit, & augustæ figit mille oscula fronti.
Excita regalem sequitur, plausúque frequenti
Prosequitur, Regum veneratrix Gallia, currum:
Et cœlum clamore quatit, fumisque vaporat
Ditibus, & solem iactatis floribus arcet;
Deque suis annis addi Tibi postulat annos.
Ipsa etiam velit infelix venisse Nauarra
Et Regi favisse suo: sed acerba gementem
Et Pyrenæâ pendentem ex rupe morantur
Vincula, captiuas Reginæ arcentia palmas.
Illa tamen, miseræ quia tantùm vota supersunt,
Vota repercussis longè exaudita cavernis,
Et iuges lacrymas, & verba hæc tristia mittit.
Vive diu Francæ Regum fortissime Genti,
Vt defensa tuis æternes Lilia Palmis.

Et nostros, sic Fata volunt, miserate labores,
Disiice Regali vincla hac infamia collo,
Nec patere Hispanos Regina illudere fastus,
Audiet orantem, & fraudes LODOICVS Iberas,
Et ferale iugum gladio, nodósque resolvet:
Subiectósque novo fruiturus iure Nauarros,
Regia iuratos admittet ad oscula Cives,
Maternúmque potens capiti diadema reponet.
Nec tamen hic decorum cumulus, nec pulcher honorum
Limes erit. Populos uno feliciter omnes,
Quo Francum reget Imperio; Luparaque superbas
Arduus ante fores, nullo discrimine gentis,
Æqua triumphali librabit iura bilance;
Et quâ tela manu feralia torsit, amœnas
Victor in æterno cælabit marmore Leges;
Abiectóque procul dabit aurea secula ferro.
Sic ait, & fortem tollens ad sidera dextram,
Augustum Superis Nomen, dirísque verendum
Manibus, audaci pavitans formidine iurat,
Vera rato firmans oracula sacramento.
Obstupuêre metu Proceres, terrâque verentem
Turba frequens pressit portento exterrita vultum.
Mox tamen vt fracto lucem splendescere fumo,
Præsentésque domo Superos excedere sensit:
Este boni, faciléſque sacris intendite nostris,
Exclamat Pater extremæ de limite vitæ,
Et spebus Regina Parens hilarata secundis,

Et Proceres, Populúsque pari clamore sequuntur:
Dum Puerum castus lustrali flumine mergit
Antistes, sacróque caput consignat Olivo.
Ex illo meliora nitent, lapsuque sereno
Acriùs in nostras intendunt sidera sortes,
Obsequio famulata tui, MASARINE, favoris.
Tu Puero sponsor, diuino in fonte lavanti,
Tu Fidei genito, speciosi nominis author,
Præsago Patris auspicio, iussúque fuisti:
Grandémque in tenera LODOICVM prole renasci,
Et Patriis Natum radiis ardere dedisti.
Quod superest, Francæ fausto datus omine Genti,
Incipe Regales, fatis authoribus, aureo,
Sic Regina iubet, sortes deducere filo,
Et vasto faciles humeros suppone labori.
I Puero MASARINE comes, quocumque volentem
Fata trahunt, Capitique sacro bona verba precatus,
Consiliis adiutor ades; & iugiter acres
Providus Augustæ curas impende saluti.
Sed fugitivam etiam cœlo deducere Pacem,
Bellonámque procul terris arcere labora:
Contusi rigidâ prædantum grandine Cives,
Et miseræ tangant animum fata aspera Plebis,
Fata tuæ Superum concessu credita curæ.
Ac veluti, sua cùm dubio Ceycides ova
Exclusere salo Alcyones, turbata remittit
Vnda, nec immites bacchantur in æquore Venti;

Tu

Tu quoque, pacificæ fœcundo lumine mentis,
Disijce miſcentes civilia bella procellas,
Et dubias turbarum hyemes MASARINE ſerena.
Sic Tibi florentes opulentum indulgeat annos,
Et iugi caput aſpergat dulcedine cælum.
Sic Tibi, dum toto dominabitur æquore DELPHIN,
Et (quæ veridicâ MICHAEL Oracula voce
Protulit) ignotis adoleſcent Lilia terris,
Supremam Romana parent Comitia ſedem.
Et Mundi dominam ponant in fronte Tiaram.





IORDANIS CAPTIVVS,

ET

AVGVSTISSIMO PRINCIPI VIENNENSIVM DELPHINO SVPPLEX.

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM DE RICHELIEV.

IAM decies naſcens rediuiuo lumine Luna
Fulſit, & adversô reparavit cornua Sole,
Cùm Francis ruit omnis agris effuſa, nouùmque
Delicias Orbis, DELPHINEM Europa ſalutat.
Sed miſer extremâ vix tandem audiuit Idumê,
Limosâque caput tollens IORDANIS ab algâ,
Felicem occiduo flammam clareſcere tractu
Vidit, & aſpectu terras hilarare benigno.
Protinùs in mediis liber ſpirare catenis
Cœpit, & afflicta requiem ſperare Sioni,

Antiquo memorans incisa oracula saxo.
Scilicet annosus vicinâ è Chalcide vates,
Ieiunum solitus siccâ dape frangere corpus,
Cælestíque precum mentem saturâre saginâ,
Dixerat, & memori responsum inscripserat antro.
Fortunatus erit sæclis venientibus annus,
Cùm Iuvenis Franco parebit ab æquore
DELPHIN
Qui sceptrum vetus, & Solymanæ cornua Lunæ
Frangat, & Eoo Mahumeten littore mergat.
Ergo procul viridi Puerum *veneratus ab actâ,*
(Nam miserum grandes prohibebant ire catenæ).
Auxilium supplex valido clamore rogauit:
Carmináque instantis meditatus nuncia lethi
Mittere, Vitali *dedit hæc scribenda* Poëtæ;
Cui licèt ingenium Musis inimica senectus
Fregerat, & priscos algore extinxerat ignes:
Ille tamen Franci felicem ad Sideris ortum
Insolito pectus fervore calescere cœpit;
Et qui formosum Iuvenis Delphina Parenti,
Et virides dederat venâ meliore Coronas: **DELPHIN CORONATVS opus eiusdem authoris editum, an. 1604.**
Nunc etiam Puero *Senior marcentia serta,*
Et vetulos audet cunis adspergere flores.
Hoc quodcumq; tamen quod honesto crimine peccat,
(Si peccat veteres hederis implectere canos
Ausus, & in gelidâ iuvenem præstare senectâ)
Igneus ille tua mentis vigor, illa Favoris

Majeſtas ARMANDE *facit, quæ lumine tanto,*
Et nitidis noſtras ita flammis imbuit Arteis;
Vt quoties tardos pedibus, terráve iacentes
Deſpectare voles, Hominum ſupreme, *Poëtas,*
Protinùs aſſurgant alacres, Cycnæáque muti,
Si iubeas, etiam modulentur carmina piſces,
Vocaléſque ſuum, Duce Te, DELPHINA *ſalutent.*





AVGVSTISSIMO
PRINCIPI,

LVDOVICI IVSTI FILIO,

HENRICI MAGNI NEPOTI,
Viennensium Delphino

IORDANIS CAPTIVVS

S. D.

ILLE *ego nobilibus quondam regnatus Hebræis*
IORDANIS, *& tumentium,*
Dum Solymis ætas stetit aurea, diues aquarum,
Nunc ægra vix humentibus
Saxis membra traho, miseróque illudit acerbis
Sultanus atrox vinculis.
Sed vos aspicite, & vincto miserescite Franci;
Iugúmque collo soluite.
Aspicite, vt sanctis insultat montibus; & quas
Cruore tinxit aureo,
Ah! rigido CHRISTVS *moriens in stipite, terras*
Arabs profanus polluit.
Et si quid Franci superest; si tangit honoris,
Veríque sensus Numinis,
Vltrices ad sancta manus accingite bella:
Nostrísque Mauros finibus

Exigite, & ſpurcis pollutas ignibus àras
Turco lauate ſanguine.
Tu verò Occidui DELPHIN *ſpes altera mundi,*
Cælique Sidus Francici,
In noſtras oriens etiam convertere terras,
Miſeræque felix adveni,
Quæ Te Magne vocat, ſolióque inuitat, Idume:
Lupíſque montes lacteos,
Et toties Francis dominatam Heroïbus Vrbem,
Iudámque Turcis eripe:
Nec ſine deformes, Othomannica ſigna, beatis
Sordere Lunas *turribus;*
Hîc vbi Dauidici *quondam fulsère* Leones,
Crucéſque Bullioniæ.
Hoc Te fertilibus Collis formoſus Oliuis,
Torrénſque Cedris conſitus,
Et ſupplex Golgotha rogat, rogat omnis Idume:
Terræque ſanctæ vindicem,
Te Solyme, Te capta Sion, DELPHINE, *precantur,*
Per mille CHRISTI *vulnera,*
Per laceros flagris humeros, auguſtáque diris
Compuncta iuncis tempora.
Conſputáſque genas, & honeſtum dedecus oris,
Clavóſque grandes, & trucem
Numinis infami pendentis in arbore mortem,
Sectíque plagas corporis,
Et lato memorat perfoſſum vulnere pectus,

Fusumque costâ sanguinem,
Et mixtos undæ latices, vivíque verendum
Dei cadauer objicit.
Vt miserorum, oculô videas, DELPHINE, *benignô*
Acerba fata civium:
Et tandem afflictæ capiat miseratio gentis.
O! si frequentes audias
Dirè insultantum, media inter verbera, sannas!
O! si cachinnos hostium!
Protinùs huc venies, rapidô celer impete vectus,
Oestróque sancto percitus,
Attonitum ratibus Francis onerabis, & atro
Cruore tinges Bosphorum.
Supremæque Duces Baciatas fulmine cladis,
Ianissaró sque proterens;
Post Byzantinæ memoranda incendia Portæ,
Vastíque strages imperI;
Tandem exarmatam Solymannæ Tigris, aheno
Frænabis iram circulo:
Vt saliat Turcis Judæa erepta catenis;
Pacísque fructus aureæ,
Imperio, DELPHINE, *tuo, felicis olivæ,*
Palmæque ramis colligat.
ET *tuus ille quidem Genitor, cui Lilia succum,*
Vitámque sospes Gallia,
Et restauratos debent Altaria cultus,
Tendebat olim dexteram;

Et curam miſeros, & opem ſperare iubebat:
Sed bella dudum ciuica
Sollicitum, & longi Patriæ tenuêre labores:
Dum cæcus Errorum furor
Turbat, & inſanis rabies Hugonotta rebelles
Incendit vrbes ignibus.
Pòſt vicinæ etiam violatô fœdere Gentes,
Vtrumque Regni limitem,
Et ſocios pulſant veteres, Francíſque ſerenos
Nitere Soles invident.
O te Magne Puer *tanto Genitore beatum:*
Qui pace, qui bello potens,
Poſt inteſtini depulſa pericula motus,
Poſt Factionis impiæ,
Et ſcelerum oppreſſos curis ingentibus hydros:
Grandes Ibero ſpiritus;
Germanóque truces animos detraxit, & Alpes,
Saltúſque latè Rhetios,
Et tumidam victor docuit trepidare Pyrenen:
Fractíſque Rheni cornibus,
Te Scaldis fugere, & ſervire Moſella coëgit.
Nunc, & triumphorum ſatur,
Multiplicíque caput lauro, dextrámque venuſtis
Palmæ decorus frondibus,
Æternam Patriæ meditatur condere Pacem;
Legéſque Iuſtus *aureas,*
Aureáque extenſo Felix *dare ſecula Regno.*

Sed

Sed antè nostram prouidus,
Grande rudimentum virtutis, & omen avitæ,
Per te salutem destinat.
E*rgo veni, tecúmque operis,* DELPHINE, *molesti,*
Viaque difficilis ducem
ARMANDVM *securus habe, magnúmque secundis*
Admitte rebus auspicem.
Ille tuo datus obsequium præstare Parenti,
Cælóque missus artifex,
Ærumnas veteres, & ineluctabile regno
Fatum paterno depulit:
Et Patriæ fines, & Francæ gentis honorem,
Sceptrúmque longè protulit.
Ille feri tumidos compressit, & aggere vastô
Frænavit æstus æquoris:
Sed meliùs populorum iras nisúsque feroces
Pulcris repressit artibus.
Ille rebellantes armis felicibus urbes,
Nothósque cives contudit:
Sed conjuratas scelerum feliciùs Arces,
Falsíque turres eruit.
Difflavítque minas, & classis vela Britannæ,
Ventísque ludibrium dedit.
Ille Pyrenæos numerosô milite montes,
Tagúmque famâ terruit:
Sed magis Hispanos magnæ molimine mentis
Fastus, & astus perculit.

Ille etiam totam Tibi complanabit Idumen :
Tyrique portus nobiles,
Et Libani fauces, & Ioppes claustra recludet.
Summisque Lunas *detrahens,*
Liliáque, & grandes nostræ monumenta salutis
Cruces *reponens turribus,*
Pacificum pulcrâ faciet regnare Sionè ::.
Nouíque fines imperI
Ad Sinas, Scythiæque nives, & Phocidos arva,
Fontésque Nili porriget.
Ergo Veni DELPHINE, *Vide, Francóque feroces*
Ardore Vince Barbaros.
Aspicis ut trepidi nutant, neque Lilia contrà
Videre Turcæ sustinent?
Auróque intextæ *præstrictus fulgure* Flammæ
Fugit Tyrannus impotens :
Et quas antè vorax, & inexsaturabilis hausit,
Fœdè vomit provincias.
Non secus ac celeri præpes fugit Ardea pennâ,
Cùm pone dirus imminet
Tinnula per Vacuum quatiens crepitacula Falco :
Metúsque mortis incitat.
Nam simul emissus pugno, lorisque solutus
Venator ales emicat :
Protinus ille fugæ vomitis se piscibus aptat,
Leuiórque præter arduas,
Quâ tonat, & densi terris sitientibus imbres

Sparguntur, auras evolat.
Sed frustrà fugit, & rostri mucrone latentis
Hostem ferire destinat.
Occidet, impulsúque Feræ diffissa potenti,
Eviscerata concidet.
Sic, fugiat licèt extremos Othomanus ad Indos,
Fugâque fraudes instruat:
Et gazas veteres, & belli robora, nummos,
Aurique montes prodigat:
Aut etiam toto pugnax Oriente resistat;
Portúsque mille classibus,
Et validas circum claustris immanibus urbes,
Arcésque saxis muniat.
Omnia felici perrumpes, omnia forti
Virtutis ausu proteres.
Et Sceptrum Vetus, & Solymannæ cornua Lunæ
Franges, & Eoo procul,
Quò te fata vocant, Mahumetem littore merges.
Vt Victor, extremo mari
Immortale Cruci statuas, DELPHINE, *Trophæum;*
Terrisque pacem ditibus,
Et populo Francos ARMANDO *præstite mores,*
CHRISTIQVE leges inferas.
Sic erit. Et pollens opibus, te Rege *beato*
Incedet ætas sæculo:
Et rupes iterum sudabunt mella propinqua,
Amnésque lacte profluent.



RVPELLA FELICITER E XPVGNATA.

CHRISTIANISSIMO REGI LVDOVICO XIII. IVSTO, PIO, FELICI, *TRIVMPHATORI SEMPER-AVGVSTO.*

EPINICION.

VICTOR Io, turres scelerum LODOICVS ahenas,
Errorúmque pharos, cælóque minantia saxa
Eruit, & iustis attrivit funditùs armis.
Vicit, & infamem violato fœdere classem,
Periuróſque, mari cælóque faventibus, Anglos
Perculit, & pacem trepidos orare coëgit.
Felices populi, placidum quibus aurea cælum,
Et soles ætas melior promittit amicos.
Plaudite, securique novos decernite paſsim
Jmperio, meritiſque nova virtutis honores.
Vicit Io, plebique iugum, fræ nóſque furenti,

Et




Et faciles legum posuit LODOICVS habenas.
Nunc Francis asserta quies, nunc diuite fato,
Post intestini sedata incendia belli,
Nobilis aeternam potietur Gallia pacem.
Ecce ferox, populique caput deforme Rebellis
Occidit, & terram infelix Rupella momordit.
Illa quidem falsum cœli mentita favorem
Hactenus, & pelago latè dominata tumebat:
Nec Reges venerata suos, nec iura, feroces
Semper acerba minas, semper noua bella parabat.
Sed totas misera Regum Iustissimus artes,
Audacesque animos, evulsaque cornua fregit.
Ille feram caveis, posito circùm aggere, plebem;
Et sontes arcto populos in carcere clausit:
Ille latrocinijs infame frequentibus aequor,
Oceanique reos fluctus in vincula misit.
Ille rebellantem toties, & Regibus ausam
Insultare suis, terrâque marique moventem,
Et sua periuros armantem in viscera cives,
Externasque acies Austro, Boreâque vocantem
Contudit, & proprijs Hydram compressit in antris.
Nunc alia, & casu melior Rupella beato,
Ante tuos abiecta pedes, & nobile collo
Passa iugum, supplex veniam LODOICE precatur:
Verbáque devota fidei solemnia iurat.
O quantâ Matris, quantâ dulcedine castae
Coniugis augustas mulcent nova gaudia mentes!

F



Cum celer, & levibus veniens eques incitus alis
Divinos apices, mandatáque regia perfert.
Et totam obsidij faciem, castelláque circùm,
Et positos undis obices, sylvasque natantes,
Implexasque trabes, deiectáque saxa profundo,
Demersasque rates memorat: tenuique labores,
Et vastas operum moles in puluere signat.
Directasque acies, objectáque rostra Britannis,
Et curas operose tuas Armande *recenset,*
Felicesque dolos, Regemque in Cardine tanto
Omnia fatalis versantem pondera belli;
Mox captivorum illuviem, deformiáque ora,
Squallentesque genas populorum, alvosque tumentes,
Insanamque famem, maciemque ex ordine pandit.
Regales animæ, lenti quibus anxia belli
Sollicitas merito dabat expectatio curas,
Et cupido mora longa metum faciebat amori:
Nunc trepidos vultu populos hilarate sereno,
Et mundo nitidos oculis accendite Soles.
Vicit, & heroo frontem sudore decorus,
Pulveréque adspersus faciem LODOICVS honesto,
En redit, & paribus vobis fert oscula votis:
Atque triumphato curis ingentibus hoste,
In vestro decus omne sinu, laurosque reponit.
Atque utinam victor, felici munere, castam
ANNA dato Delphine tibi Rex augeat aluum:
Et pulchrâ faciat complexus prole parentem!

O favor! ô nullis hominum impetrabile curis,
Sed tantum Superis, & amico numine dignum,
Nec tibi, nec Regi ſatis unquam optabile donum!
Hoc tamen; & noſtris depulſa injuria templis,
Et defenſa Fides meruit; meruere labores
Principis: & Magnæ pietas digniſsima Matris:
Venturoque Pudor tuus admirabilis ævo,
Et Morum tenor innocuus meruere tuorum.
Hoc patriæ, populique ſalus; & candida Regni
Poſcit Hugonotis facies admorſa colubris:
Civilique diu turbata negotia motu,
Et dolus externo ſemper metuendus ab hoſte,
Armorumque furor, fraudumque pericula poſcunt.
Hoc etiam voto Proceres, plebeſque fideli,
Et quicquid toto ſociorum eſt orbe, precantur,
Vt ſtet ſecuro Spes publica fundamento,
Liliáque æternis durent ſuffulta columnis.



EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV.

ILLA tot imperijs, tot inexpugnabilis annis,
Quæ pelago, quæ præsidijs Rupella tumebat,
Corruit, & vasto sonuit convulsa fragore.
Non illam Maris imperium, non æquoris æstus,
Non circùm Oceano stagnantes divite campi,
Nec validæ crebris munitæ turribus arces,
Nec conjuratæ damnati fœderis vrbes,
Nec juvère truces immani classe Britanni.
Omnia perrupit, scelerum omnia vincula fregit
Altera BORBONIDVM LODOICVS gloria Regum.
Diráque victrici jaculatus fulmina dextrâ,
Fecit ut oppressis spiraret Gallia monstris,
Liliáque augusto meliùs candore nitêrent.
Ille suum asseruit sceptro decus, ille vigorem,
Hæreticæque dolos fraudis, populique rebellis
Cornua, constanti magnæ luctamine mentis
Contudit, atque uno demùm feliciter ictu

Victor Hugonotæ capita omnia conscidit Hydræ,
Consilijs ARMANDE tuis. Tu cuncta potentis
Ingenij curis penetrans, animóque volutans
Omnia, nunc freta, nunc classem, nunc castra, laborésque,
Et vastas obicum moles, operúmque videbas.
Tu Ducibus mandata dabas, tu militis omnem
Eloquij justis acuebas cotibus iram.
Quin & fræna mari, Pontique tumoribus aptans,
Indocilem Oceanum REGI parere jubebas.
O caput! ô fastis nomen venerabile nostris!
O Regi dilecte tuo! Te Gallia sospes,
Te Populus, Te Relligio, Te Principis Aula,
Et favor, æterno laudum splendore coronant.
Ac, nisi Romani vetet obseruantia moris,
Quicquid non Italum est, sacris mundóque praesse,
Et Vaticano prohibens in colle sedere;
Tergeminæ diadema vovent ARMANDE Tiaræ,
VRBANOQVE senem unanimes succedere poscunt.
Vt tua, quæ veterum titulis illustris Avorum,
DIVITE clara LOCO micuit, Te Principe, totum,
Virtutis fulgore tuæ Gens impleat Orbem.
Sed frustrà, meritos alibi virtutis honores,
Magnorúmque operum fructus, & præmia quærat.
ARMANDO meruisse sat est, Regique fidelem
Impendisse operam, sibi pro mercede reponit.
Tantus honos fortes propriæ dulcedine laudis
Imbuit, & solidô mentes alit intùs Honestô.

IN medijs nivibus, gelidíque in vertice montis,
Quem supera Arverni tollunt ad sidera saltus,
Hos, ARMANDE, tuæ laudis præconia, versus,
Frigidus exhausto vates de fonte trahebat;
Atque reluctantes, felici fraude, Camœnas
Ad numeros iterùm, desuetáque vincla vocabat.
Quis miretur enim? quando SANFLORIVS instat,
Et vires operi Præsul, studiúmque ministrat.
Sed tua, quod magis est, Virtutum, & Nominis ardens
Purpura, vitales spargens in carmina flammas,
Vrget, & exstinctos tardi senis excitat æstus.
Quin etiam simul ac clamosæ murmure Famæ
Accepêre, novo lapidosi carceris usu,
In silicum pedicas ultrò Nereïdas isse,
Vastorumque graues obicum admisisse catenas;
Venerunt faciles verborum ad vincula Musæ,
Et cupidum numeros habiles docuêre Poëtam.
Talibus auxilijs, sermonum flumina pumex
Funderet, & mutæ loquerentur carmina rupes.



AVGVSTISSIMO
PRINCIPI
VIENNENSIVM DELPHINO,
LVDOVICI IVSTI FILIO,
Henrici Magni Nepoti.

MAXIMILIANVS LEONORIVS
Marchio de Bethune.

Theſes de Cœlo & Mundo propugnaturus in area Collegij Montalbanenſis Societatis IESV.

AVdeo, nec vaſti dubito freta naufraga Ponti,
Auſpicijs tranare tuis: nec inhoſpita Terra
Dorſa, nec infeſtum monſtris ardentibus axem
Difficili ſuperare viâ, DELPHINE, recuſo;
Et totum quocunque vocor percurrere mundum.
Scilicet, imperio quæ te, Formoſe, potenti,
Et domitô Regem Sapientia deſtinat orbi;
Me quoque fortunæ famulum, DELPHINE, viæque
Menſorem iubet eſſe tuæ: ſed & aurea dictat
Servitij documenta novi, ſtudiumque merendi,
ARMANDVS toto mens una capacior orbe
Jmperat, & tacitas adſpirat murice vires.
At Pater, extremas cujus penetrabile fulmen,

Et clamosa sono tremefecit Gloria gentes,
Adversos procul ire jubet LODOICVS in axes,
Præconemque sequi diffusa per æquora Famam:
Vt Cœlum radio mensus, Terrasque fideli,
Ancipites Astrorum obitus, & grandia vasti
Describam brevibus Mundi spectacula chartis.
Ipsa quoque incertum, Cœli fax altera Franci,
Signat iter, vultuque favet Regina sereno.
His ego securus Ducibus fœliciter erro;
Et Totum, medio sublimis ab æthere lustro:
Dum me diva tuo facilem Sapientia fingit
Obsequio, mariúmque sinus, terræque iacentis:
Ambages, cœlique domos, DELPHINE, latentes
Explicat; & certo ducens per deuia filo,
Te bello, te pace potens, Regem omnibus unum
Designare jubet populis, Terráque, Maríque
Fortunæ monumenta tuæ, memoresque laborum
Præsago titulos adamante incidere mandat,
Et medio nomen BORBONVM inscribere Sole.



ILLVSTRISSIMO, AC
REVERENDISSIMO
D. D. PETRO DE BERTIER,
EPISCOPO VTICENSI,
Coadiutori Montalbanensi,&c.

PHILOSOPHI MONTALBANENSES.

IMplicitas Logicæ Syrtes, & inhospita Mentis
Entia; fidenti freta formidata Iuventa,
Elapsi, toto quà circumflectitur orbe,
Naturæ vastum intrepidi percurrimus æquor:
Et trans Materiæ sensu-tractabilis oras
Impulimus nostram remis audacibus Argon.
Scilicet optati speciosum Vellus honoris
Traxit, & immensis cursum calcaribus ursit.
Nunc hilares terram ripâ propiore videmus:
Sed timor in fluctus, objectáque tela repellunt,
Ni dubijs ades, Antistes Clarissime, rebus,
Berteriæ *nomen nunquam delebile* Gentis:
Idem & Sorbonici mens irrequieta Lycæi,
Et sacris linguæ nitor, & vis ignea Rostris.
Ergo ades, & tenuem, quo te Sapientia plenis

Mersit vorticibus, nobis adsperge favorem.
Illa tibi diros spirantem naribus ignes
Molliit, & multo, claravit Sydere Taurum. Stemma gentilitium Berteriæ familiæ.
Illa salutari duxit per devia filo,
Et sanctas mendace dedit pro vellere vittas.
Vt tua Philosophis lucerent Sydera Nautis:
Et qualem Europæ mentita est Fabula, vivum
Instrueres Sophiæ patrio de Stemmate lembum,
Propitiásque sacris spirares flatibus auras.




PIA
EVCHARISTERIA.

ARAM CONCORDIÆ,

QVAM IN ÆDE SACRA COLLEGII
MONTALBANENSIS,
PATRES SOC. IESV SCHOLÆ MODERATORES,
B. MARIÆ SEMPER-VIRGINI, CONCILIA-
TRICI PACIS, ET AVGVSTÆ CHRI-
STIANÆ IVVENTVTIS VRANIÆ
NVPER EREXERANT,

VC. IRENÆVS, PHILOPARTHENVS PACIS
AMATOR, IDEM ET AMATVS B. V.
OPVLENTA SVPELLECTILE, ET VASIS EX
ARGENTO PRETIOSIS ORNAVIT.
P. V. THERONVS COLLEGII CVRATOR
ELEGANTEM PIETATIS APPARATVM
CARMINIBVS EVCHARISTERIIS
ILLVSTRAVIT.

Labriffe, ector Re- s,



EVCHARISTERIVM PRIMVM.

CALIX EVCHARISTICVS, ET SACRA MISSÆ SVPELLEX.

VT procul obscœnam bellorum abscedere pestem,
Et pulchram cœlo iubeas descendere Pacem,
Supplicat antè tuam venerans Philoparthenus *aram,*
Déque tuis opibus, (nam quæ sibi plurima cœlum
Indulsit, tu dives opum REGINA dedisti,
Et curas animi vigiles, vastíque labores
Consilij, censu Charitum locuplête beasti)
Parthenium vasis altare decentibus auget,
Et sacra nobilibus vestit mysteria pannis.
Principio micat, & lento decocta metallo,
Spirantésque notas calo mentita fideli,
Obijcit argento patientem in divite Christum:
Et vitale Dei funus, sordésque decoras,
Felicésque silens loquitur CRATERA dolores.
Heic trepidat Deus, & densis quâ frondet olivis
FILIVS extremo PATREM rogat anxius horto:

Horrificaque procul ſatagens opprobria furcæ,
Et diræ calicem medicatum avertere mortis,
Sollicitat ſurdas irati Numinis aures:
Et medias inter zelíque, metûſque procellas,
Ancipitem ſanctæ mentis luctatus agonem,
Perpetuum ſudat ſimulati ſanguinis imbrem.
Heic placidè, chordis rudibus, calíque, ſolíque
Artifices præbere manus, palóque ligari
Algentem ſinè veſte Deum ſpectabis, & acres
In nudum furere, & ſcuticâ ſævire miniſtros.
Cæduntur rigidis argentea membra flagellis,
Calatíque humeri virgâ lacerante ſecantur.
Quinetiam diros plectens Cuſtodia vepres
Regia crudeli compungit tempora ſerto,
Et mœſtam vacuâ ludens in arundine ſcenam,
Procidit antè reum miles, Regémque ſalutat.
Nec tamen afflicti ſpecies miſerabilis oris
Mollijt Hebræos, immitia pectora, pardos.
Eminet, atque truces, argento durior ipſo,
Aſperat in CYATHO mentis veſania vultus.
Heic quoque turbatur Solyme, Procerúmque Senatus
Æſtuat, & cæcæ meditantur inania plebes.
Aſpicis, ut fervet Scribarum exercitus omnis,
Et denſos glomerat ſimulati turbinis æſtus?
Iſacidûmque, ſacrâ legis formidine, falſi
Pontifices animos acuunt, iráſque ferarum.
Nec priùs abſiſtent populos urgere furentes,

Quâm stimulis odij veteris furialibus acti,
Insignem iustis homicidam absolvere pœnis,
Feralique Deum ligno suspendere poscant,
Vt secum, horribili Pilatum crimine nectant.
Ille quidem sævos Pharisæi vorticis æstus,
Turbatæque fretum plebis sedare laborat;
Mox tamen ut tantos immanè tumescere fluctus
Sensit, & instantes violati Cæsaris iras
Audijt intento populum clamore minantem;
Protinus exsiliens, spurco sibi flumine sontes
Abluit, & puro maculavit sanguine palmas,
Insontem rabidis permittens Tigribus Agnum.
O scelus! ô cæci placitum lethale furoris!
Sed felix, quæ morte reos, & crimine solvet,
Æternámque dabit mortis Sententia vitam.
Parte aliâ grandem Domino, sic fata ferebant,
Sæva parat Synagoga Crucem, Christique volentis
Exangues humeros immani fasce fatigat.
Cernis ut in PATERA, formis expressa venustis
Ducitur, & denso procedens agmine pompa
(Ingressum licèt exanimis, & verba figuris
Materiæ rigor, & cæli torpedo negârint)
Ire tamen, mutóque loqui sermone videtur:
Incisi præeunt, crudeléque funus in ipso;
Et sua Carnifices spirant tormenta metallo.
Triste satellitium, fasces, lituique sequuntur,
Et nitidis Romana cohors apparet in armis.

Confusi circùm nullo discrimine Cives,
Et multus procul extremo peregrinus ab Orbe,
(Quos pietas, festíque potens veneratio traxit).
Bacchantur, memorémque Deum, legemque perosi,
Acribus amentata jocis convitia torquent,
Et validis obscœna vomunt maledicta, grauíque
Sudantem sub fasce Deum clamoribus urgent,
Exitiúmque Patri proles incesta minantur.
Ponè comam laceræ veniunt, Dominíque misertæ
Fœmineo cœlum quatiunt clangore puellæ.
Ille reos, inter ligno tardante, Latrones
Æger, anhela trahens duro vestigia clivo,
Sudat, & immani titubans sub pondere, lapsat.
Felices humeri, quibus auxiliare jubetur
Obsequium præstare Deo, nolénsque beato
Cogitur ante alios oneri succedere Simon.
Tu quoque discissâ Berenice squallida pallâ
Heic ades, & propior CHRISTO comes ire laboras.
Et fugere illa quidem, thalamóque latere parabat,
Dum venti caderent, furiæque reponeret æstus;
Sed tamen ut portis feralem excedere pompam,
Et totam tumido Solymen fervere tumultu
Audijt, ingenti licèt externata dolore,
Audet, & adversis mediam se plebibus infert;
Vt postrema dolens morituro munera præstet,
Afflictóque fidem probet auxiliata Magistro.
Nec satis est miseræ, properat, colaphísque cruentas
Turpibus

Turpibus, & multo squallentes sanguine malas,
Consputósque oculos miserans, inhonesta decori
Tergit odorato vultus opprobria lino.
O stupor! æternùm facies impressa rubebit,
Et sacra formosas retinebunt lintea sordes.
Cernis, ut apparet propior, Christóque labanti
Scanditur angusto simulatus Golgotha calle,
Golgotha, cui vigili quondam Bethel uncta Jacobo,
Et sacer illustri prælusit Moria colle.
Mons, ubi securis speciosi criminis ausis,
Insontem Pater Isacum jugulare paratus,
Et totam in puero Credentum exscindere Gentem,
Cornibus hærentem, densis in vepribus, Agnum
Viderat, & cultu Fidei meliore litarat,
Venturum typicâ veneratus in arbore Christum.
Heic, Vita dirâ pereundum est morte, Deóque
Plorandum, & vivo sitiendum in stipite Fonti.
Scilicet immitis postremo luditur actu
Fabula, victores scelerosæ plaudite scenæ,
Et vacuo cives Erebi saltate Theatro;
Dum pedibus calcata, Cruci, post verbera, Virtus
Figitur, & medios inter moritura Latrones
Humanæ pendet reparatrix vita salutis.
Sed tamen, infandum valido concussa fragore,
Et tanti faciem sceleris, populíque cruentas
Detestata manus, damnant Elementa furorem
Continuò mundi species horrescit, & omnis

Proh Superi! moriente Deo Natura laborat.
Aſpicis, vt Cœlum ſtupet, & marcentibus Aſtris,
Extinctâque die, tenebroſa noctis imago
Indecorem tingit piceâ fuligine Solem:
Lunáque ſanguineo connivens lumine, ſordet.
Aſpicis, ut tremefacta ſalit, fundóque dehiſcens
Tellus, oſſa vomit paſsis rediviva ſepulchris.
Diſsiliunt montes pavidi, mundóque rigenti
Grandia ſaxa necem, ſaxis colliſa minantur.
Extremo, Cœli Proceres, Fideique columnæ,
Biſſeni Chriſti comites in margine ſurgunt:
Et fatum Hebrææ nunquam reparabile Gentis
Attoniti, ſortémque Dei miſerantur acerbam:
Inque SCYPHO, facti memores, molleſcere duro,
Et ſemper gemere, & lacrymas ſtillare videntur.
Stat ſuper, auguſtis, media inter ſacra, diebus
Acceptura Deum PATINA, excisíque fidele
Funeris officium ſancto ſimulatur in orbe.
Heic ſatagunt Chriſti memores morientis amici,
Et mœſti, tacita per amica ſilentia noctis,
Divinum Cruce deponunt, pia turba, Cadaver.
At generoſa Parens tumulo ſublimis ab alto
Proſpectat, gladíoque ſinum trajecta dolentem,
Exanimum recipit gremio; lacerúmque, cruentumque,
Abluit illacrymans deterſo pulvere Natum:
Et ſuprema labris turgentibus oſcula figens,
Appreſſo fugientem animam ſolatur in ore.

Ipsa etiam comitésque via, sociaque laborum,
Tergemina veniunt Christum plorare MARIÆ,
Et sua promentes fractis unguenta alabastris,
Ditibus aspergunt horrentia vulnera succis.
Sed propior, sulcata genas, lacerata capillos
Eminet, infelix Christi patientis amatrix,
Et simulata licèt, veris tamen vsque videtur
MAGDALIS incisum lacrymis mollire metallum.
Vrceolos, *fictúmque manu meliore* Polubrum
Instrumenta Crucis socialia, lancea, mucro,
Gallus, arundo, tudes, claui, funalia, virga,
Bulga recens, veteres nummi, speciosus aqualis,
Astragali, toga, malluvium, mantile, columna,
Funes, scala, vepres, & amaris ebria succis
Spongia, calatis ornant impressa figuris:
Et multus duplici Cherubinus prominet alâ.
Talibus aeternùm pacalia sacra colentur,
Et veneranda Deum capient altaria vasis.
Quid memorem dites, illustria munera, PANNOS?
Et circùm nitidis errans in vestibus AVRVM?
Quid tenuem referam lini subtilis AMICTVM?
Quid Cycladem, *& ductas operoso pectine* Mappas?
Carbasa littoribus procul exportata Batavis,
Quid Limbos? *quid* Pulvinos? *quid serica* Vela?
Splendentémque auro Libri Missalis *alutam?*
Quæ tibi, pro patriâ voti reus, omnia puris,
Intemerata parens, manibus Philoparthenus *offert,*

Vt procul in ſauos auertas prælia Turcas,
Æternâque tuos componas Pace Clientes.
Tu donum placido, tu dantem reſpice vultu,
Supplicibúſque favens, quando potes, annue votis;
Et paupertinos, mendici ſcruta Poëtæ,
Quos tibi pro veteri, ſacris operatus, amico
Diva parat, Pacémque viro, veniámque precatur,
Accipe Virgo parens, inter dona aurea, VERSVS.



EVCHARISTERIVM

SECVNDVM.

PYXIS EVCHARISTICA.

TOta Deo perfuſa CARO, diuine beatas
Cœleſti recreans epulo Carbuncule *mentes,* Eſai. 6.
Huc etiam ſacro ſuperâ detractus ab arâ
Forcipe, pauperibus miſerorum illabere menſis,
Et ſemper-gravidâ, ſemper prognatus ab alvo,
Arcano Deus in terras effundere partu;
Et noſtris iterúmque iterúmque renaſcere Templis.
Ecce tibi molles, ſpecioſam PYXIDA, cunas,
Sed cultu meliore, animum ſinè labe paravit
Multo virtutum dives Philoparthenus *auro.*
Jlle quidem æternæ miſeratus Virginis aram,
Et modici ſordere rudes Altaris amictus,
Voverat illuſtrem Sacris inducere mundum,
Et diti pateras inopes mutare metallo.
Iámque graves auro trabeas, & ſerica vela,
Quæſitáſque procul tenui ſubtegmine telas,
Et lento ductum argento CRATERA dicarat:
Cùm nocte occiduâ quando fugientibus umbris
Candida tranquillas illuſtrant ſomnia mentes,
Attonito Divæ ſpecies auguſta Parentis
Splenduit, & roſeo propius ſic ore locuta eſt.

L

Quid frustra Pacem clauso deducere Cœlo,
Et procul extorrem precibus revocare laboras?
Dum scelerosa diu meditata prælia gentes,
Infernis cudunt sibi noxia tela caminis,
Insanóque Deum sontes errore lacessunt?
Parcite sacrilegis Mortales, parcite cœptis,
Et mores alios vitâ meliore professi
Exarmate pias violati Numinis iras.
Vnus opem vobis, unus præstare salutem,
Hier. 1 *Filius, & vigilem, potis est avertere Virgam.*
Vos flecti facilem, gemitu clamoris acuto,
Sed magis innocui cordis plangore, vocate;
Protinus afflictis veniet succurrere rebus,
Et castis fœtâ precibus lenitus acerrâ,
(Obscœnam licèt exhalet vitiosa Mephitim.
Terra) tamen cœlo veniet, vestríque misertus
Horrida felici componet prælia Pace.
Tu verò nitidas, ubi lapsus ab ubere Patris
Molliter accumbat, propera Philoparthene *cunas,*
Votivámque para divinis Panibus arcam.
Sic ait, & vasis speciem Regina decori,
Impressósque super formosâ PYXIDE *vultus*
Objiciens vigili media inter somnia cordi,
Iussit opus, rutilóque fores abitura nitore,
Atque domum multâ perfudit, & atria nardo.
Ille toro salit, & lacrymis, & voce sequutus
Reginæ vovet obsequium præstare monenti.

Nec priùs instantem redivivi Solis ad ortum,
Excusso redeunt operosa negotia somno,
Quàm vigil ante alios ea semper cura labores
Vrgeat, & mentem irrequieto murmure pulset,
Venturo lepidum Christo penetrale parare,
Et pia cælatis aptare crepundia cunis.
Protinus argento PYXIS conflata nitenti
Cuditur, & circùm artifici compuncta tumore,
Spirantes loquitur speciosâ fraude figuras.
Hîc pius Isacum certus jugulare libentem,
Nobile mactato facinus molitur amore, Genes. 22.
Juratíque fidem obsequij testatur Abramus.
Cernis, ut exultat mœsto super ardua busto,
Traiectóque volens religatur victima fune:
Vt genitor strictum nullâ formidine ferrum
Exerit, & jugulum Puer imperterritus offert.
Ergo tibi, Pater infelix, morietur, & insons
Filius, ah fatum pueri crudele! paterno
Ante Dei vigiles oculos cadet hostia ferro?
Ille tamen tenuisse manum, tenuisse minantem
Dicitur, & vocem hanc rutilâ de nube dedisse.
Sat fidei, cœlóque datum: sat fortibus ausis,
Affectus Abrame tuos, animúmque probasti:
Desine feralem specioso sanguine dextram,
Et puram obsequio mentem maculare cruento;
Sed lapsum è superis structo super injce busto,
Vicinis quem stare vides in vepribus Agnum.

Nec tibi suscepta peritura est gloria cædis,
Sed tacitum magno pendetur fœnore votum.
Namque tua puer Isacus pars altera vitæ,
Quem tamem invicto generosæ robore mentis
Ausus es immiti tenerum supponere cultro,
Vivet, ut irriguâ latè stabulatus Idume
Progeneret geminos, illustria nomina, Fratres;
Innumerósque ibi toto serat orbe Nepotes.
Mirantum speciem, Natíque Patrísque stupentum
Attonitos vultus, incisâ PYXIDE servant,
Et memorant fidei monumentum insigne Figuræ.
Hîc quoque procincti, simulacra decora, viantes
Exod. 12. *Circunstant inopem surrecto corpore mensam:*
Necnisi lactucis conditum agrestibus Agnum,
Et panes sine fermento vescuntur Hebræi.
Agnosco veteres insani Principis iras,
Et clades Ægypte tuas, verósque tueri
Isacidum videor, Cælo fallente, labores.
Scilicet afflictam solio sublimis ab alto
Viderat, & sortem Iudæ miseratus acerbam,
Multiplici Deus immitem Pharaona flagello,
Et justis cœlo, terrâque oppresserat armis.
Nec tamen immani stantes in pectore cautes,
Nec sævum duri cordis mollivit ahenum,
Sed rabidæ furias, & inexorabile mentis
Protinus elidet ferali fulmine saxum.
I. Mosen affatus, ait, virgáque minatus,

Diræ

Dira rebellanti perfer mandata Tyranno,
Quid decies cælo tactus, mihi ſacra parantem
Impius ingratâ populum tellure moraris?
Sed fera poſtrema cedet veſania cladi,
Nam totâ meus Ægypto deſæviet enſis,
Perculſas miſcens horrendis cædibus urbes;
Et lætus, duce me, calcata per æquora, Juda
Melliferos colles, opulentáque regna tenebit.
Ne tamen inſontes, inopinæ ſtragis acerbo
Funere, confuſis domibus mergantur Hebræi;
Præcipe cunctanti populo, feſtinus ut horno,
Sic placitum, faciat tenebris inſtantibus Agno,
Et fuſo ſuperos adſpergens ſanguine poſtes,
Decoctas verubus paret ad convivia carnes.
Talis erat ſpecies epulantum, abitúmque parantum,
Inciſa qualem ſimulant in PYXIDE *formæ.*
Quid maleſane times linguâ vibrante minantem Num.
Conflato pendere videns in vaſe COLVBRVM*?* 21.
Ille tamen diris olim ſerpentibus ictos,
Roboreâ cruce ſuſpenſus ſervabat Hebræos:
Et certam procul aſpecto dabat ære ſalutem,
Præludens medico Chriſti pendentis amori.
Inferiora tenent, imâque in PYXIDE ſurgunt
Melchiſedech, *gratúmque pijs onus,* Arca, *Levitis,*
Et cælo veniens epulum mirabile MANNA.
Cernis ut artifici cælo deſcriptus adorat,
Pacificæque ſacrâ progreſſus ab æde Salemi, Geneſ. 14.

Melchisedech, Rex idem hominũ, Superiq; Sacerdos
Numinis, acclini bona verba precatus Abramo,
Et PANE & VINO sacris operatus, ovanti
Libatas parat, & vernis victoribus escas.
Exod. 25. *Nec procul excordi populo testata fidelem*
Sæpiùs ARCA Deum, sculptis in pellibus horret,
Tota renidenti licèt intùs fulgeat auro.
Supponunt humeros, cælatáque colla Levitæ,
Et charo gemere oppressi sub pondere molis,
Exod. 16. *Et rigido super argento sudare videntur.*
Hîc etiam passis foribus, simulata patescit
Aurea Cœlituum domus, & stillantibus astris
Pascuus Hebræis sudo pluit æthere nimbus:
Vt Superûm mentes saturæ, terrâque vagantum
Esuries, mensâ sedeant concorditer unâ,
Dissimilésque, tamen simili se Pane saginent.
Matth. 26. *Pulchrior accumbit supremâ in* Pyxide *Christus,*
Et memorem fundans æterni fœderis Aram,
Bissenos arcana docet Mysteria Fratres.
Cernis ut absumpto Iudæi Paschatis Agno,
Augustæ iussi Proceres accumbere mensæ,
Vitalem illæsis vescuntur carnibus Agnum,
Divinæque sacro recreantur sanguine Vitis.
Luc 24. *Parte aliâ sculpti, peregrinâ in veste latentem*
Circunstant, facilíque viâ procul ire minantem,
Discipuli comites satagunt revocare Magistrum,
Et secum dites epulas cœnare precantur.

Mox tamen ut cæcas inopino lumine mentes
Imbuit, & medius hominúmque Deíque Sacerdos,
Vivifico fractos sacravit carmine PANES,
Ingenti stupuere metu, pastíque beatis
Carnibus, illecebras, & amœnis ignibus acres
Verborum meminere faces, divináque vocum
Mella, quibus sapiens mulcebat corda Magister.
Dum placidè lentos animíque, viæque labores
Facundus comes ignito sermone levaret;
Aurea priscorum libans oracula Vatum.
Et Christum intuiti redivivâ luce micantem,
Laudavere pios blandè fallentis amores.
Nunc quoque lætantum vultus hilarescere credas,
Et tacitâ mutas audiri in PYXIDE laudes.
Quid postrema nitet, calóque incisa fideli Marc 14.
Fœmina, convivam media inter fercula Christum
Ante torum prostrata colit, fractóque alabastro
Prodigit effusam cælata in PYXIDE nardum?
Agnosco mundum tenuem, dominúmque sequutæ
Felices memini curas, & nomen Amantis.
Magdalis *est, quæ funereos obeunte Magistro,*
Mortalem venerata Deum, meditatur honores.
Illa Pedes nuper nitidos lacrymísque rigarat
Jugibus, & passo deterserat anxia crine;
Nunc etiam Caput adsperso perfundit amomo,
Et pia cælatis profert opobalsama plantis.
Frendeat, & Juda nunquam exsaturata cupido,

Turpes delicias, unguentáque perdita clamet,
Et spretos inopes, cæco stridore, queratur:
Immortale tamen facinus, seríque nepotes,
Et sacris æterna libris monumenta loquentur,
Impressâque super memorabit PYXIDE cælum.
Tantum opus, artificis molimen nobile dextra,
Virgo Patrona tuæ supplex Philoparthenus *Aræ*
Obtulit, & grata pretioso anathemate mentis,
Indultas, fideìque suæ, rerúmque suarum
Delibavit opes, unóque in vase paravit,
Auspice te, tumulum cæso sinè sanguine Christo;
Nascenti cunas; sanctis penetrale, penumque
Carnibus, ardenti rutilantem PYXIDA Gemmæ;
Et pandi facilem divinis panibus Arcam.
O Dives pretio, sed ditius arte metallum!
O pacti memores veterísque, novíque Figuras!
Quæ saturas, sacra cœnantum mysteria, mentes
Oblectant gratâ lepidæ dulcedine fraudis;
Et multo fidei convivas lacte saginant:
Nobile vas! ubi turgenti lævore Magistri
Fulget in argento felix audacia cæli.
Sed meliùs tua cœlesti decocta camino,
Aurea donantis pietas Philoparthene *fulget.*
Fallor an æternæ meditantem oracula legis,
Et matutinis subeuntem ad sydera curis
Pertulit, & leni vox aurem illapsa susurro,
Terruit attonitam blandâ formidine mentem?

Quo

Quò mihi formosis illustria vasa figuris ?
Quò telæ subtilis honor ? quò splendida bombyx ?
Et circùm niveis errans in vestibus aurum ?
Si mediâ lux ægra die torpescit, & atræ
Undique dedecorant opulentum Altare tenebræ,
Nec pulchri splendere sinunt decora omnia mundi.
Talibus orantem mediâ sublimis ab arâ
Intemerata Parens visa est incessere verbis.
Sed pia me, fateor vigilantem insomnia fallunt,
Et ludunt vetulum deliria blanda Poëtam.
Diva tamen claram, tenebrosum exosa nigrorem,
Te jugi rogat instinctu Philoparthene *lucem,*
Et dites loquitur cordi penitissima LYCHNOS.
Quid dubitas instante Deâ, sed protinus aude,
Patronæque cliens veneratus iussa rogantis,
Aut nitidis aram pius instrue Candelabris,
Aut vigilem illatis opibus meditare Lucernam.
Sic tibi Diva tuis nunquam non prospera votis,
Felices liquidis producat Solibus annos:
Et, medias inter rerúmque, animíque procellas,
Illustret dubiam cœlesti lumine mentem,
Nec sinat Altanis violari Lilia flabris:
Sed procul in sævos avertens prælia Turcas,
Securam jubeat Francis splendescere PACEM.

N



BALZACVS
ILLVSTRIS.

OPVS HORTATORE MAYNARDO PRÆSIDE
PERITO CARMINVM ÆSTIMATORE,
Nobilissimoque Poëta, libenter
susceptum;

*ET AB IPSO BALZACO ELOQVENTIÆ
veteris Instauratore, in amplissimam Laudatorum
sui nominis multorum & illustrium Familiam
peramanter adoptatum;*



BERN. THERONVS NEPOS AVTHORIS,
HOC LOCO, SANE NON ALIENO, INTER
cæteras Patrui sui Reliquias collocatum
esse voluit.

AMICISSIMO,

CLARISSIMOQVE PRÆSIDI

MAYNARDO.

NE rugas effœta suas, & pendula marcens
Vbera, deformíque sinum pædore iacentem,
Musa senex daret Ausonio ridenda Theatro:
Dum Proceres scenam specioso syrmate verrunt,
Et tota spirant violas, & amoma Camœna,
Nobile formosi venerantes nomen Amyntæ*:*
Dixerat, in veteri citharam suspendere lauro:
Soláque Balſacijs *adolere silentia sacris;*
Et pulsum attonita mentis jugulare parabat.
Tu tamen exsuccam, mea quondam cura, animæque
Dimidium, Maynarde, *mea, sine sanguine venam*
Pungis, ut effossis distillent carmina fibris:
Blandáque mentitus laudum simulacra mearum,
Languentes agitas chartis instantibus ignes.
Ecquis enim stupor, orchestrâ plaudente silere?
Ecquis marcor, ais, ubi cursu laudis anhelo
Musica facundi celebrant certamina Vates,
Carceribus tardos torpentem inhibere jugales,
Et missâ procul à metis, absistere mappâ?
Talibus hærentem monitis impellis amicum;
Nec lacerum intuitus, nec stantem pulvere currum,
Antiquo satagis fugitivum includere Circo,

Et Clarios urges iterum succedere fontes,
Et lenta invitis moliri cantica Musis.
Sic agor, & tacito dubiæ rationis in æstu,
Ancipitem scindunt studia in contraria mentem.
Hinc amor, inde timor totis jubet ille venustum,
Delicias veteres, thecis effundere mundum,
Fallacésque genis anubus, frontísque rigori,
Annosisque comæ nivibus, inducere fucos,
Et viridem cute detersâ simulare Iuventam.
Hic meliùs, populi sannas, scenæque minatus
Sibila, marcentis memorem iubet esse Senectæ,
Et Phaethonteæ famosa incendia cladis,
Et maria Icarium memorat testantia casum.
Quid facerem? sed vicit amor, facilíque ruinâ
Balsaciæ *mentem dejecit gloria Famæ,*
Et pulcher veteris dolus expugnavit Amici.
Cedo volens, & quà toto natat æquore tellus,
Ire per extremas, Musarum nuntius, urbes,
Et populos meditor sapiens errare per omnes:
Hâc ego te, Pater Eloquij fœcunde, per ambos
Dexter agam, pennis solvi metuentibus, Orbes.
Et dites animi census, & nobile prælis
Nomen, & ardentes nativo lumine Chartas,
Ingenij radiosa tui miracula pandam.
Tu molli cisio, nostram, quæ paupere cultu
Angusto sordebat iners Facundia rure,
Et vitam brevibus fundis inhonora trahebat,

Splen-

Splendentem Aonidum duxisti primus in Aulam;
Et grandes pedibus nudis aptare cothurnos,
Intextásque auro cycladas vestire dedisti.
Tu ceruſſato frontem lauare nitore,
Puniceiſque comam docuisti ſtringere vittis,
Et totum Suadæ veteris prætendere cultum.
Tu Graias populatus opes, & florida Romæ
Prædia, Lutetiam, doctas operoſus Athenas,
Et Latij veneres, & fortia verba vocasti.
Quid pacem ancipiti laceras Vir Magne *duello?*
Et ſine læſurâ, ſparſis per inane querelis
Aſper inhumano figis verba aurea ferro?
Quid multus ſtrepit ingratis clamoribus anſer?
Et puros ſuper involitans raucedine fœdâ
Parnaſsi latices & amœna ſilentia turbat?
Sed vincet (ſic fata ferunt, ſic aſtra loquuntur)
Balſacides*: animíque vigor, laudúmque ſuarum*
Gratia depulſo meliùs livore nitebunt.
Ac velut Eoo cùm ſe novus æquore Titan
Extulit, & terris rediviuo lumine fulſit:
Invida deformi Tellus uligine fumat,
Æternámque, dies nequicquam exoſa ſerenos,
Cogitat oppreſſo noctem producere Sole:
Ille ſuum ſecurus iter, per denſa vaporum
Agmina, per cæcos tenet inter nubila flexus,
Humentéſque coquens lentis fervoribus umbras
Promicat, & victor radijs melioribus ardet.

O

Sic ubi puniceo primùm fulgore refulsit,
Et medio cœpit Sapientum albeſcere cælo
Balſacus, *inſultans effracto carcere Livor*
Naſcentis decus Eloquij, Famaque recentem
Horridus infecit piceâ fuligine lucem.
E. t diros acuens jêjuna Calumnia dentes
Pro ſcidit illuſtrem teneri Sermonis amictum.
Ille. nimis terſas inducto pumice chartas
Argu it, hic multâ conditos fraude lepores;
Alter opes Latij terſas, Graiaque tumentes
Rhetori æ bullas, felicia crimina, carpit:
Vos næuo s tenues, & quicquid debile linguæ
Humanæ ue ſolens peccat vecordia ſortis,
Vnguibus; immites animæ, laniatis acerbis.
Nobilis int ereà flexu Virtutis honeſto
Difficiles vi itat, ſpecioſa pericula, metas
Balſacus, & *Socios curſu celer anteit omnes:*
Nec volucres animi gyros infeſta malignæ
(Quæ ſemper rabido latrat ignorantia rictu,
Obſcœnos imita a canes) maledicta morantur.
Plaudite, vi it Io, manibúſque recentia plenis
Formoſæ laudum artifices date lilia Muſæ,
Lilia dedecorem n unquam ſubitura ſenectam.
Vos quoque palma es, illuſtria nomina, Vates
Vicit Io, pulchro p gilem clarate triumpho,
Et toto, quà Fama volat, deducite mundo.
Ipſe, licet tardos n rvis algentibus artus

Occupat, & deses celerem vetat ire senectus,
Ponè sequar, vestrísque comes virtutibus impar,
Audebo tamen, & niveis (quà feruidus æstu
Insano fremit Oceanus, quibus ultima tellus
Brachia portendit glacie torpentia campis)
Victorem securus agam, per inane quadrigis.
Quinetiam si Musa volet, gelidísque recentem
Molliter adspirans venis infuderit æstum,
Ignea, trans vitreum Cœli septemplicis æquor,
Templa petam, nomenque sui fulgore renidens
Luminis, & multo perfusum Sole, supremis
Axibus, æterno confixum adamante reponam.
Sed quid perpetibus marcent exercita morbis,
Ægráque Languentis lētâ febre membra coquuntur?
Desine prostratum mentis vigor ignee corpus,
Desine defectas curis elidere vires.
Ac velut assistens humentem leniter almo
Spiritus igne fovet, superíque per avia mundi
Impellit celerem irrequieto turbine Lunam,
Ora licèt turpes maculent argentea nævi;
Tu quoque Balsaciden *serua, tabóque fluentes*
Ignea mens vegeta generoso sanguine venas,
Nec cupidis laudum decus immortale Camœnis
Eripe, nec patrium restinguens invida Solem
Obrue lugubribus confusum Helicona tenebris.
Sic erit, & dubij post tædia longa doloris
Balsacus, *ad nitidi latices, & prata Carentæ*

Securus veniet meliore ſeneſcere Pindo,
Et Procerum fumos, &, ſplendida vincla, favores
Exoſus, fœtáſque dolis infamibus urbes
Extento vivet campis felicibus ævo,
Areolis ubi ridentes gemmantibus horti,
Et tepidum verno ſemper nitet aëre cœlum.
Hîc tibi divinæ Veneres, hîc ſplendida Pitho,
Et Majora, piæ, procedent Numina, Muſæ,
Atque triumphali florentum adſpergine laudum
Perfundent humeros, & odoro tempora nimbo.
Cernis ut aſſurgunt, poſitíſque ſecuribus Artes
Puniceos pronæ certant ſubmittere faſces,
Et ſacra victrici libantes oſcula dextræ,
Eloquij Regem domito livore ſalutant?
Vt Charites rutilum fronti diadema, tuíſque
Serta meo ſpecioſa parant in carmine canis?
Talibus illuſtrem ſtudijs admitte triumphum,
Et toties ſacros Muſarum emenſus agones,
Palmarúmque ſatur, (quando licet eſſe valenti)
Ebria delicijs inſontibus otia carpe.
Sed tamen intereà, dum te florentia totum
Arva tenent, & vel nemorum per amœna moratur
Frigora, percuſſis illudens auribus Echo,
Vel nitidi fallunt oculos ſimulacra Carentæ,
Et matutinæ violáſque, roſáſque metentem
Molliter obtundunt leni clamore volucres,
Apricos etiam Sophiæ meditare receſſus,

Heic

Heîc ubi ſublimis ſolio Regina micanti
Perculſas arcana docet myſteria mentes.
Illa vagi denos Entis tranſcendere colles,
Et molli dabit anfractu, vitare reductos,
Argumentoſa denſum nemus artis Elenchos.
Illa dabit rerum artifices cognoſcere Cauſas,
Naturæque vices dubias, adytóque latentis
Non adſpecta priùs Veri ſpectacula pandet.
Mox ſaltus ingreſſa novos, per florida vitæ
Civilis juga deducet, curvíſque decentem
Moribus aptabit rectæ Rationis amuſsim.
Illa rebellantis ſceleroſa incendia Noxæ
Deſuper infuſi reſtinguet amoris olivo;
Et juges animi motus, & pace ſequeſtrâ,
Jrrequieta malæ componens prælia mentis
Tranquillo Pindi nebulas mutabit Olympo.
Heîc demum ſine labe ſenex, ſine frigore canus,
Inter odoratas Graiûm, Rutulûmque papyros
Florentem, ſecurus opum, ſecurus honorum
Deduces nullâ fati formidine vitam,
Et ſæclo ſcelerum ſcopulos, æſtúmque timenti,
Non interſtincto caſtorum lumine Morum
Heroæ pharon accendes Virtutis honorem.
O caput! ô noſtris nunquam delebile Faſtis
Nomen! & antiquæ ſpirans Probitatis imago.
Sic tuus ad Tarnim luteâ contage rubentem
Aprico recubans Albani Montis in antro

Auſpice te, nuper ſonuit Maynarde Theronus.
Ac velut argutos anſer ſtrepit inter olores,
Hæc quoque, nobilibus temerè congreſſa Camœnis,
Muſa ſenex rauco cecinit malà carmina cornu.
Sed veniam, pulchrum facinus confeſſa, meretur,
Scilicet imperio Virtutem ornare rogantis,
Peccavit deluſa tuo, tu criminis autor,
Stultitiæque duces, mendacia blanda fuiſtis.
Illa quidem defixa toro, cùm febre malignâ
Vitalem coquerent inimica incendia ſuccum,
Auratam chelyn, & citharas abjecerat omnes,
Certa ſalutari morbum expugnare quiete.
Tu contrà dociles ad cantum intendere nervos,
Et tardum celeres numeros audere jubebas.
Paruït, & grandem fidibus depreſsit amicum,
Obſcuróque novum perfundens lumine Solem
Jlluſtrem culpâ ingenij detrivit Amyntam.
Quid ſonti facias? aut laui pumice nævos,
Et gravia errantis caſtiga crimina chartæ,
Aut unâ maculas omnes abſterge liturâ.





INSCRIPTIONES VARIÆ.

IN STATVAM EQVESTREM CHRISTIANISSIMO REGI LVDOVICO XIII. IVSTO, INVICTO BELLATORI, ET TRIVMPHATORI ſemper-Auguſto.

AB EMINENTISSIMO CARDINALI ARMANDO DVCE DE RICHELIEV in foro Regio poſitam.

QVod Bellator Hydros *pacem ſpirare rebelles,*
Deplumes trepidare Aquilas,*miteſcere* Pardos,
Et depreſſa jugo ſubmittere colla Leones
Deſpectat Lodoicus *equo ſublimis aheno:*
Non digiti, non artifices finxere camini;
Sed Virtus, & plena Deo Fortuna peregit.
ARMANDVS vindex Fidei, Paciſq; ſequeſter
Auguſtum curavit opus; populiſque verendam
Regali voluit Statuam conſurgere Circo:
Vt poſt Civilis depulſa pericula belli,
Et circùm domitos armis felicibus hoſteis,
Æternùm dominâ Lodoicus *in Vrbe triumphet.*

APES BARBERINÆ.

S. D. N.

VRBANO VIII, P. M.

PARENTI LITERARVM,

& Pacis Assertori.

EPIGRAMMA.

SEdula floriferis APIS undique saltibus errat,
Vt sua de Florum nectare mella legat.
Sed neque supremas Olearum insistere frondes,
Nec calicem pandi sugere floris amat.
Felices VRBANE tuæ, quæ mella salutis,
Quisquis opem populus poscit, ubique ferunt.
Nec doctis tamen avertunt se Palladis hortis,
Et succo liquidæ Pacis aluntur APES.

IN EFFIGIEM

ILLVSTRISSIMI, ERVDITISSIMIQVE PRÆSVLIS,

D. CAROLI DE NOAILLES,

S. FLORI EPISCOPI, BIBLIOTHECÆ

Domus Professæ Tolosanæ Soc. IESV.

Beneficentissimi Instauratoris.

IN tabulâ casti Majestas emicat oris:
Ingenij latet effigies augusta: sed isti
Quos dedit; & quorum veneres, & grandia sensa
Vnus habet, muto LIBRI sermone loquuntur.

PORTVS AGATHENSIS.

FErveat, & diram crebris infame procellis
Perniciem mare ferali ſtridore minetur:
Securi tamen huc proras obvertite Nautæ:
Ecce ſinum vobis aperit, ratibúſque fidelem
Oſtentat procul infido ſuper æquore Portum
RICHELIVS, ſurdis auditum Nomen abyſſis.

ARCIS PERPINIANENSIS.

HEic ſublime canit, ſuperáque ex arce Leonem
Immani terret vocis formidine Gallus:
Et ſomnos Hiſpane tuos, & inania vota,
Et ſtudium augendi nunquam exſaturabile turbat.

TEMPLI MONTALBANENSIS INSIGNI REGIS CHRISTIANISSIMI LVDOVICI IVSTI MVNIFICENTIA IN PRISTINVM SPLENDORIS ANTIQVI ſtatum feliciter reſtituti.

ÆMula Cælituum ſimulachra, Deíq; capacem
Inſani furor Erroris dejecerat Ædem;
Et Regem infandis nuper violaverat auſis.
Aurea nunc ſine nube dies, ſine labe recurrit;
Quâ placidè ſacris cœlo deducta ſereno
Exul Relligio, Chriſtúſque reponitur aris,
Et totus domitâ regnat LODOICVS in Vrbe.



COLLEGII TOLOSANI SOC. IESV.

Hanc Capitolini Proceres, Autore Senatu,
Virtuti, Musísque dicant feliciter Ædem,
Auspicijs HENRICE tuis: & limine primo,
Hinc belli Lauros, hinc longæ Pacis Olivas,
Fortunæ monumenta tuæ immortalia ponunt.

COLLEGII MONTALBANENSIS SOC. IESV, POST INITAM CVM ACADEMICIS Professoribus heterodoxis Concordiam.

Ite procul diræ, fraudum seges improba, Rixæ
Nec parteis odio memori turbate quietas,
Aurea Pax votis deducta potentibus, alto
Venit, & adversas, aditu feliciter uno,
Ampla salutiferum prætendens Ianua Nomen
Excipit augustæ Virtutis in atria Musas.

SCHOLÆ PHILOSOPHICÆ.

Heîc, ubi doctarum dubio certamine vocum,
Insontem juvenes agitãt sine sanguine pugnam,
Et bellum civile movent, Sapientia *Vero*
Militat, & cæso victrix Errore triumphat.



PONTIS TOLOSANI.

Quod secat attonitum moles operosa Garumnam,
Et semper-refluis exundans mercibus, almam
Externis opibus mergit feliciter Vrbem,
Muneris est LODOICE tui, qui grandia tanti
Molimenta operis lento surgentia nisu,
Auspicijs celerare tuis, vigilésque labori
Octoviros instare jubes, urgere Senatum,
Et conspirantes Moderantûm intendere curas :
Vt iustis quæsita diu Pax aurea bellis,
Et quæ laxatas, duce te, divertet in ædes,
Vberiùs strato veniens Opulentia Ponte,
Palladiam cumulent AVRO FELICE Tolosam.

PRÆSIDALIS CVRIÆ Ruthenensis.

Dum plebis furor, & scelerum vesana libido,
Discordeis lacerant immani strage Ruthenas,
Oppressæque iacent media inter crimina leges:
Extorrem IVSTVS cælo revocavit, & istâ
Justitiam regnare jubet LODOICVS in Aulâ.



AD MVSEVM MAYNARDI PRÆSIDIS.

MAYNARDVS *Franci non Vltimus incola Pindi,*
Musarúmque vetus pariter, Themidísque Sacerdos,
Iactatus dubijs malefidæ fluctibus Aulæ,
Elapsúsque Foro, studijs melioribus, istâ
Jam senior curas animi statione locavi:
Et Satyræ dumos, & Amorum lustra perosus,
Diva tibi docileis Voveo Sapientia *canos.*

MVSEVM INTERIVS.

Vm fera barbaries, bellíque insania Francos
Asperat, & Fraudes mediâ dominãtur in Aulâ:
Vilibus errabat mœrens Sapientia pagis,
Et trepidæ terris ibant absistere Musæ:
Sed veteres cãtu tenuit MAYNARDVS amicas,
Jllicibúsque suas numeris induxit in ædes,
Antiquis ubi securæ dicta aurea carpunt,
Et flores, & mella metunt stillantia Libris,
Vt lenitis æterna parent miracula Prælis.

CHARISSIMO

CHARISSIMO SODALI,
P. IOANNI BESSONO SOC. IESV
PRESBYTERO, ERVDITO CANTICI
CANTICORVM INTERPRETI, ET ARCANORVM
Oeconomiæ diuinæ Mysteriorum
Epoptæ clarissimo.

Divinæ Charites, superæ formosa Sionis
Numina, quæ rapido statis super æthere Mẽtes,
Velataque pedes alis, faciémque coruscis,
Ante DEVM intento vigiles assistitis ore:
Huc etiam nostris oculos divina tuentes,
Et curas animi faciles obvertite Sacris:
Vt castos, puri scelerum Salomonis amores,
Connubiumque Dei cælebs, uterúmque tumentem
Virginis, & fœtâ florentem in Matre pudorem
Dulcibus arcana lucis videatis in umbris,
Bessonumque *ducem pedibus numerísque secutæ,*
Antiquum, fidibúsque novis, plectroque recenti
Carmen, & ignotas vobis tot sæcula voces,
Oscula, poma, choros, Hymenæe Hymenæe canatis.
Hoc duce, surgentem thalamo, cœlóque micantem
Solemni dabitur Sponsum deducere pompâ:
Et quæ purpureo procedit culta feretro,
Nubentis Dominæ lateri propioribus esse,
Languentíque animam myrrhâ pomisque fovere.
Ille novos Superûm ritus, nova sacra docebit,
Infusóque piam completus lumine mentem:


R


Non aſpecta priùs Fati penetralia pandet,
Virgineiſque thoris objecta aulæa reducet.
Ille reſignati ſpecioſa ænigmata ſolvet
Codicis, & claro, nullis effabile linguis
Fœdus, & infantis clamoſa ſilentia Verbi,
Vagitúmque ſenis pueri ſermone loquetur.
Ille novos aditu molli deducet in hortos,
Carpere fecundam media inter lilia nardum:
Et ſtacten, humilémque crocum, malóſque proceras,
Mirari, ſtantemque Crucis ſub ſtipite Palmam:
Heîc ubi ferali vitam ſuccumbere letho,
Et mœrere DEVM Genitrix oppreſſa moleſtô,
Non depreſſa tamen, curarum pondere vidit.
Ille, Dei veteres hominem quærentis amores,
Illuſtréſque dolos, & quæ pretioſa decoris
Sordibus inceſſit Sponſi felicis Egeſtas
Proferet, & Sanctos æternæ Virginis ignes,
Fecundáſque nives, & fœti lilia ventris,
Ardua cunctorum artificis miracula dextræ,
Attonitis ſpectare dabit, ſponſúmque fidelis
Interpres vero Salomonem in lumine ponet.
Vos quoque tam charo capiti, caſtíque magiſtro
Carminis, æternæ Vigiles, ſi candida morum
Simplicitas, doctæque iuvant conſulta papyri,
Cuſtodem, officij memores, impendite curam.
Beſſonum *ſervate diu, ſempérque recentem*
Iugiter in fœtu patris date vivere Famam.

ARISTOTELIS ETHICA
IN GALLICVM SERMONEM CONVERSA OPERA ET STVDIO Viri Clarissimi Catelli Senatoris Tolosani.

Quas veterũ supremus apex, sidúsq; Sophorum,
Doctarũ argutis Rationum asperserat umbris
Virtutis, Morúmque vias; illustris amœnâ
Sermonis patrij perfudit luce CATELLUS.
Hoc meliùs, quod civilis moderamine vitæ,
Ventosi bullas phalerataque verba Lyceï
Anteit, & factis Doctrinam ingentibus implet.

EPITAPHIA:






EPICEDIVM
IVSSV ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
D. CAROLI DE MONTCHAL,
ARCHIEPISCOPI TOLOSANI
compoſitum

EMINENTISSIMO CARDINALI LVDOVICO DE LAVALETTE.

QVem formoſa procul Rhenò, Sabíque ſerentem
Lilia ſublimi nuper Victoria curru
Vexerat, & ſummas venienti ſtraverat Alpes,
Exiguo tegitur Magnus VALETA Sepulchro.
Sed latè ſpirant Cineres, fatôque ſuperſtes
Spargit odoratam Virtutum gloria Famam.
Stat ſuper, ardentique micans Sapientia *cocco*
Lachrymat, & mixto tumulum perfundit amomo.
Serta parant buſto Charites, Manéſque beatos,
Oſſáque ſecuris onerant illuſtria Palmis.
Dum Generis Titulos veteres, ſeriémque paterni,
Fuxeóſque Atavos, Staracaque inſignia Gentis,
Et nunquam moritura, brevis miracula Vitæ,
Incidunt memores ferali in marmore Muſæ,
Et mutæ citharas tumulo, calamóſque reponunt.

S



ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
BARTHOLOMÆI DE DONADIEV,
CONVENARVM EPISCOPI.

COR.


COR vigil, & nulli ſcelerum penetrabile telo,
Dum tenuem traheret maleſano in corpore vitam,
Felici Divinus Amor fornace coquebat:
Nunc poſt fata redux cœlo ſe flamma recepit,
Et ſolos vrnâ cineres abitura reliquit.

VISCERA.

VISCERA quæ jugis, dum vita manebat, acuto
Torquebat populorum inopum miſeratio ſenſu,
Et dirè pereuntum Animarum cura ſecabat;
Molliter heîc depoſta jacent, dum ſuſcitet olim
Vitalíque DEVS ſpirantia lumine paſcat.

CORPVS.

QVem neque vis morbi cœlo meliore ſalutem
Quærere, nec vitæ fugientis cura coegit,
Dilectis oculos vigiles avertere caulis;
Nunc etiam ſummâ poſt mortem conditus Æde,
Æternùm medio reſidebit Paſtor Ovili.



ANNOSÆ VVLPIS

COMBEFANI
RVRIS AMOENISSIMI,
PRÆDIORVMQVE VICINORVM
FAMOSÆ PRÆDATRICIS

EPITAPHIVM IOCVLARE.

Felix ſorte tua Vulpes, cui ſacra decoram
Intulit illuſtri vulnere dextra necem.
At tu vicinos latè graſſata per agros,
Debueras fato deteriore mori;
Digna canum rabido permitti præda furori,
Aut epulum corvis, vulturibúſque dari:
Sed Fortuna tibi, ſcelerum patrona, pepercit,
Et facili ſontem clade perire tulit,
Vt docto trajecta caput damnabile plumbo,
Et Nemeſi ſacrâ victima cæſa manu,
Quid Pietas vltrix, ludénſque Scientia poſſit,
Et laſſata libris dextera, morte probes:

VIR NOBILIS
IDEM ET SACERDOS ERVDITVS
D. de Lamivoy feram nequissimam occidit.
ALTILIS COMBEFANÆ CORTIS
familia metu soluta, Risui ludos fecit.
VICINIA LIBERATA PLAVSVM
dedit.
POETA DE VIA RECREATVS APPLAVSIT,
& lessum hunc næniámque festivam
composuit.
SINGVLARE BONÆ MENTIS, ET
eximiæ adversus amicum rurestris inopiæ
depulsorem, benevolentiæ
MONVMENTVM.



DELPHIN
CORONATVS.

AD AVGVSTISSIMVM PRINCIPEM

LVDOVICVM,

CHRISTIANISSIMI
REGIS
HENRICI IV. FILIVM,
Viennensium Delphinum.

OPVS IAM EDITVM ANTE ANNOS XL.
Et jussu Regis HENRICI Magni
A MOTINO NOBILISSIMO POETA
in Gallicum è Latino conversum.



NVNC ETIAM RECENS AB AVTHORE
pluribus locis interpolatum.



AVGVSTISSIMO
PRINCIPI

LVDOVICO,

CHRISTIANISSIMI REGIS
Henrici Magni Filio.

EPIGRAMMA.

PRinceps augusti fortunatissime Regni,
Cui vestit tenerum laurus honesta caput,
Accipe, Castalijs tibi quos Delphinas in undis
Cepimus, & placido, si vacat, ore vide.
Accipe, Pierio tibi quas in monte Coronas
Legimus, artifici texuimusque manu.
Nec sine tantarum Delphinas in æquore laudum
Quas tua promittit vita futura mori:
Nec virides usquam senio marcere Coronas.
Et solvi capiti serta parata tuo.
Sed tecum procul extento fac vivere seclo
Carmina, Vitalis quæ tibi Musa dicat.

DELPHINES



Vo me Nereides, maris
Æſtus indocilem pati,
Infidi ſuper ardua,
Ponti dorſa vocatis?
In quæ ſaxa perennibus
Spumis ſqualida ducitis?
In quæ me ſacra neſcium
Inſolentia fertis?
O frondes Heliconiæ!
O fontis Clarij liquor!
O Muſæ tenues, mea
Quondam cura, valete!
Me dites aliô vocant,
Ponti Numina, Naiades;
Et veſtras mihi nobili
Mutant Torque Coronas,
Et myrtos, adamantibus,
Et gemmis, hederæ comas,
Et marcentia, fulgidis
Pindi poma, Pyropis

En ut ſquammiferos mihi
Gens Neptunia Pegaſos,
Qui ſuper liquidi vehent
Ponti cœrula, frænant.
Agnoſco pecus, & ſacros
Neptuni Patris alites,
Et ſimum caput, & leves
Super fulmina pinnas.
Salvete ô fluitantium
Formoſi Proceres gregum,
Quos dulci ſaturant mero,
Splendidóque decentes
Nymphæ murice veſtiunt,
Vt curſu celeri ſuos,
Papyriſque fidelibus,
Nuncietis amores.
Salvete, & timidum, Italæ
Molliti fidibus lyræ,
Toto, quâ volet, æquore
Circumferte Poëtam.
Et vobis ego carmina,
Amici memor obſequI,
Vecturæ pretium dabo:
Igneumque, decoro
Lyræ nobilis eſſedo,
Deducam ſuper æthera;
Donec lucida verſibus
Inter aſtra reponam.

Poëtis

Poëtis etiam vetus
Cum Delphinibus est amor;
Et vestras nitidi capit
Lepor carminis aures.
Sic tergo facili pium
Excepistis Arionem,
Cùm mortem reduci truces
Minarentur acerbam
Turba perfida, Nauitæ;
Et diras sceleri manus,
Insanóque cupidini
Ferrum immite pararent.

PLectro dives eburneo
Ibas Lesbon, & inclytâ
Partas arte pecunias,
Aureosque lebetes,
Et formosa tapetia,
Docti præmia carminis,
Lætus in patrios Lares,
Gravi nave ferebas.
Iam longè tibi lintea
Lenes impulerant Noti,
Et felix placido procul
Ibat æquore navis:

Cum circunstetit, ah feris
Gens magis fera fluctibus,
Mandauitque capacibus
Aurum promere thecis,
Aut ferro jugulum dare.
Dij, quorum imperium est mari,
Talem avertite, Dij quibus
Cordi carmina, pestem.
Quid vates faceret miser?
Quâ fatum prece flecteret?
Et pulsaret inanibus
Surda sidera votis?
Surgit ocyus, & ferum
Verbis increpitam scelus,
Non me vestra minacibus
Ora ardentia flammis,
Non terrent glacialibus
Corda horrentia cautibus.
„ Virtus in medijs freti
„ Stat secura procellis;
„ Nec puræ sceleris reas
„ Secures animæ timent.
Sævite, & furialibus
Ferrum stringite dextris.
Nil lethum moror, impijs
Præbebo caput ensibus,
Vt diris placidè cadam
Volens hostia Parcis.

Hoc tantum liceat, ſuam
Vati tendere barbiton,
Et brevi miſerabilem
Planctu claudere vitam.
Dixit, & niveum ſacris
Caput frondibus induens,
Argutas eboris fides
Plectro tangere cœpit:
Quales deficiens olor
Cantus, dum moritur, gemit;
Et vitam ſimul, & ſonum
Vno gutture fundit.
Tales ad citharam ſenex
Arion cecinit modos:
Et ſurdos lacrymabili
Mulſit carmine fluctus.
Nec vobis tamen, impij,
Pectus carmine mollijt:
Vatem, & attonitas chelyn
Impuliſtis in undas,
At vos parcite naufrago
Delphinûm Proceres Seni;
Et, ſi quis pudor, hoſpiti
Mites eſte Poëtæ.
Sic erit. placidus, pium
Vati ſuppoſuit caput
Delphin, atque oneri volens
Se ſubiecit amico.

Vides, ut trepido procul
Securum vehit æquore;
Vt tutum novus occupat
Vatum Navita portum;
Vt charum Superis caput
Lesbi finibus abijcit,
Et ditem, patriâ domo,
Prædijſque reponit?
Illi pernicialibus
Taram, & Telemachum vadis,
Et lapſum medio mari
Servavere Phalantum.
Nec vero placidum minor
Cura ſollicitat pecus,
Quot tellus habet, arduis
Opem ferre periclis.
Nam Pœnæ ſcopulis, reos,
Clamoſique tumentibus,
Vadis eripiunt Fori,
Litiumque procellis.
Sculptos ſcilicet aureis
Delphinos habuit thronis,
Tribunal venialibus
Favorabile noxis.
Hoc primum pavidus ſtetit,
Et divúm monitu, reus
Fuſi ſanguinis auſus eſt
Cauſam dicere Theſeus.

Ex illo quoties datum
Letho, forte fatebitur,
Quem virum reus optimo
Cæſum jure tuetur.
Ad Delphinia Cecropis
Roſtra provocet; ut datâ
Securum caput efferat
Inſons culpa ſalute.
Sic ſali ſimul, & ſoli
Servant æquore naufragos,
Et Quietis amabili
Tutos littore ſiſtunt.
O rebus dubijs amans
Humani generis pecus!
Vos cum fervida turbidi
Coquunt prælia cauri:
Aduerſiſque ſonantia
Ventis littore mugiunt,
Et cæcis hyemem ferens
Nubes incubat vndis,
Inſtantis datis ocyus
Signa nuncia turbinis:
Nam ſimul tremulo tumens
Criſpat æquore fluctus;
Delphines ſuper arduos
Saltu ſe volucri ferunt
Malos, & dubio leves
Ludunt æquore pugnas.

Lentos protinus excitat
Rector Navita remiges,
Contos expedit, explicat
Ponè tranſtra rudentes,
Ne mortem veritus ſacrâ
Spem reponat in anchorâ
Sed conſtans animi, trucem
Frangat arte procellam:
Præſagoque monentium
Doctus omine piſcium,
Victrici Domitor maris
Portum nave capeſſat.
Nec verò domitis perit
Facti gratia fluctibus,
Agnoſcunt memores datam
Gens ingrata ſalutem.
Parcunt; nec ſua mitibus
Tendunt retia piſcibus,
Nec captos auidi ſuìs
Ponunt fercula menſis.
Infeſtum mare ſentiet,
Qui feralibus impium,
Obſcœnæ ſtimulo famis,
Dentem fixerit eſcis.
Nam vel plurima noxium
Inter millia ſeligent;
Vel ſceleſti veham vago
Mergent æquore navem.

Sed fruſtrabere, qui cato
Paras perniciem gregi;
Et dolos, & inanibus
Tendis retia curis.
Nam nulla aut pelago natat,
Aut ſolo graditur fera,
Seu prænoſcere certior,
Seu prævertere fraudes.
Delphinem ſemel expedi
Nexis implicitum plagis:
Vitat clauſtra, nec amplius
Vllo caſſe tenetur.
At vos, Stagnicolas quibus
Venari Céphalos placet,
Ad prædam ſocios quater
Invocate Simones:
Vobis protinus exciti
Delphinum venient duces,
Et crebros cava Mugiles
Intra retia cogent.
Quæ gens neſcit Ionios,
Et dictos Lybico mari,
Et Græcos, & Iaſios
Non audivit amores?
FOrtè cùm rabidæ furit
Atrox hora Caniculæ,
Et marcentia fervido
Torret arva latratu:

Ad littus ſubijt comâ
Formoſus puer aureâ,
Et calentibus, igneum
Vt reſtinguat amœno
Vndæ frigore Sirium;
Membra lactea veſtibus
Aeſtu torridus exuit,
Deijcitque profundo,
Quâ ventus ſilet, æquore:
Mox terram fugit, & procul
Adductis fluitantia
Secat marmora palmis.
Delphin cæruleo videt
Natantes pelago nives,
Et pulchro nitidæ ſtupet
Captus lumine formæ.
Miratur veneres, ſinu
Quæ ludunt in eburneo,
Et quibus roſeæ micat
Frontis gratia, flores:
Miratur caput aureum,
Acerbiſque Cupidinis
Succis ebrius, algidâ
Totus ardet in vndâ:
Nec ceſſat tamen, illicem
Pernix ad puerum volat,
Et blando parat ocyus
Se ſupponere mento.

Certe

Certè principio feram,
Amorum rudis, horruit,
Et tutam celeri fugâ
Cæpit quærere ripam.
Quò te candide proripis
Illustrem fugiens procum ?
Non informia te maris
Sæui monstra sequuntur:
Sed mitis fera, quam vagi
Neptunus maris arbiter,
Quam vasti virides amant
Ponti Numina Nymphæ.
Aude sistere, nec procum
Sperne pulcher amabilem;
Admitte, & tumidos novo
Fluctus frange phaselo.
Vides ut placido sedet,
Nil æstum veritus puer
In Delphine, nec horridi
Pallet murmura Ponti.
Vides ut liquido procul
Lætus ludit in æquore;
Vt beatus amabili
Gaudet pondere Delphin.
O amor novus! ô novum,
O par nobile amantium!
Non est qui liquidos malè
Vobis turbet amores.

Infido tamen, ah cave
Inniti puer eſſedo ;
Nam piſci latus aſperâ
Horret vndique pinnâ,
Quæ lato tibi, ni ſapis ,
Rumpet inguina vulnere,
Et molles eadem ferâ
Morte rumpet amores.
O ſortem nimis aſperam!
Infelix nimium puer!
Tali ten' decuit brevem
Vitam claudere fato?
Saltem frigida littori
Veni membra reponere
Delphin, & patrio rigens
Corpus redde ſepulchro.
Vt totum rubeo videt
Fœdari mare ſanguine,
Et diram Pueri novo
Senſit pondere cladem.
Ah! dolet miſer, & ſcelus
Vlciſci parat innocens,
Mori deſtinat, & pari
Mortem ſolvere morte.
Ergo remigio citus
Ad ripam celeri volat,
Et mœrens lacrymabilem
Terrâ ponit amicum.

Quin & cœruleo falit
  Amens æquore, flebilem
  Vt solvat puero, rudi
  Stridens murmure lessum.
Nec mœsto satis est, reum
  Ad cædem jugulum parat;
  Vt se victima Vindici
  Volens sistat Amori.
Ex illo, positis novos
  Cultus obtinet ædibus,
  Et sacris Amor aliger
  Stat sublimis in Aris.
Cui piscem manus altera,
  Candens altera Lilium,
  Quod tellure quod æquore
  Vincat omnia, præfert.
Delphinas catus aureo
  Vlysses clypeo tulit;
  Illustris fuit Herculi,
  Signum nobile, Delphin.
Vos Augustus, & imperI
  Hæres Tiberius suis,
  Et Vitellius aureos
  Impressere monetis.
Vobis Isthmia Doricis
  Luduntur Sacra curribus
  Servatíque Palæmonis
  Dependuntur honores.

Vos, & pulveris aureos
Meta habebat Olympici:
Vos, & Flaminius rudi
Sectos marmore Circus.
At te quid memorem sacris
Mitem Cœrane piscibus?
Tu captos emere, & datâ
Libertate, solebas
Mari reddere patrio,
O factum bene! prodigâ
Delphini quoque gratiam
Largitate rependent.
Nam cum quassa furentibus
Ad littus Parium Notis,
Tumentem hauriet hinc & hinc
Navis undique pontum;
Te sævo eripient mari,
Et, quâ Dulichiæ iacet
Zacynthi specus, arduo
Tutum littore sistent.
Quin & Cœranijs dabis
Nomen nobile fluctibus:
Cùm vero tibi ferrea
Vitam abruperit hora,
Frequentes aderunt pio
Iusta solvere funeri,
Et respergere pineum
Vivo flumine bustum,
Sed

Sed quid funereos procul
Delphinum video choros,
Et mœſtos lacrymantium
Sonos audio vocum ?
Ah letho datus ! ô dolor !
Effertur pueris pater :
Delphines ſua mortuo
Solvunt juſta parenti.
En ut flebile littori
Corpus ad tumulum ferunt :
Tu ſiſte, & tenuem inijce
O viator arenam:
Hoc tantùm, geminos prius
Dentes deme cadaveri ;
Cùm proles tua dentiet,
Collo appende, juvabunt.
Quin ſecto corium memor
Tergo detrahe, ſcilicet,
Cùm te ſors ſuper ardua
Ponti dorſa vocabit,
Tumentem tibi de rudi
Vtrem conſue tergore :
Ex illo, tua, quem voles
Pellet lintea ventus.
Sed tacete loquacia
Vatis carmina, parcite
Delphino tenuem gravi
Sono rumpere ſomnum.

Audin' vt patulis procul
 Ronchissat fera naribus?
 Et se, vel mediâ movet
 Inquieta quiete?
Nam lento, neque dormiens,
 Delphin torpet in otio;
 Sed graves ubi molliter
 Sopor clausit ocellos,
Summo se statuit mari,
 Et somnum placido capit
 Lapsus turbine, dum rudes
 Fundo tangat arenas.
Mox lapsu vigil, arduo
 Rursum tollitur æquore,
 Et rursum placido cadit
 Captus lumina, somn o.
Nec te cœruleum caput,
 Nec te forma, nec asperis
 Tergum sentibus horridum,
 Nec frons squammea fallat.
Humanos rudibus ferunt
 In spinis animos; fero
 Humanas, ita creditur,
 Tegunt corpore mentes.
Cùm puer Dionysiam
 Tyrrheno peteret mari,
 Nec quos remigibus daret
 Nummos Bacchus haberet:

Ad lyram Phrygios manu
Aptavit, tenerâ modos;
Et gratus, facilem ſacro
Solvit carmine naulum:
Hoc primum cecinit, quibus
Neptunum jaculis amor
Confixit; latuit quibus
Amphitrita cavernis;
Delphinos cecinit viæ
Amanti domino duces,
Et tædas hymeneïo
Feſtas carmine dixit.
Vix Nautæ cupidis ſacrum
Carmen auribus hauſerant,
Cùm bacchantur amabili
Icti pectora thyrſo
Et ſuavem medio mari
Furorem madidi furunt;
Nec truci dubitant leves
Se demittere ponto.
At juva, Pater, & tuos
Serva Niſie navitas,
Nec ſævos miſeris ſine
Vitam extinguere fluctus.
Sic fuit. Bromius viris
Delphinum ſpeciem dedit;
Mutavitque volucribus
Tarda brachia pinnis.

Et ſquamis caput, & genas,
  Et dorſum viridantibus
  Aſperavit, & incitâ
  Coſtas veſtijt alâ.
Ex illo, celeres vago
  Delphines volitant mari,
  Et toto cupidi ſuam
  Quærunt æquore navem.
Nec prius ſonuit foris
  Vox audita frequentibus,
  Quàm feſtos agitent leves
  Circùm roſtra choreas,
Et dulces avidis bibant
  Cantus auribus, & ſuam,
  Sic putant, avidi ratem
  Vſque & uſque ſequantur.
Vides vt placidè choris
  Convenêre decentibus:
  Et noſtri quoque carminis
  Audivere leporem?
Sed quid, quod medijs micat
  Delphinum legionibus
  Coronatus, & aurea
  Præfert Lilia Delphin?
Agnoſco procul imperI
  Signa candida Francici,
  Stellatámque adamantibus,
  Pyropiſque Coronant.

O Francis


O Francis vigilantiæ
  Cœli ſidera Lilijs!
  O felicia ſerico
  Ducta ſæcula filo!
Ergo candidulum pio
  Delphinum peperit Patri
  Tuſca Nereis, & novâ
  Regnum prole beavit.
Ergo Borbonidem tulit
  Auguſtâ Puerum domo;
  Quâ pellucida regij
  Fontis volvitur unda.
Ergo conſilio DEVM
  Tethys Itala, Regiam
  Henrico ſobolem dedit,
  Galliæque parentem.
Salve candide Francici
  Delphin æquoris, aureas
  Sis feliciter ortus in
  Almi luminis oras.
Tu quondam, puero ſimul
  Ætas creverit, æquora
  Felici moderaberis
  Gallicana tridente.
Tu pro gente, ferocibus
  Indices ſacra prælia,
  Seu turbant pelago leves,
  Seu tellure, Britannis.

Hiſpanóque minacia
Franges cornua militi,
Seu te, ſeu ſocialia
Ferox arma laceſſit.
Sic Delphin, placidum pecus,
Audet pro catulis mori,
Nec venabula ferrea
Fuſcinaſque paveſcit.
Tu potens, Othomanibus
Cædes terga fugacibus,
Et fædabis Ionias
Turco ſanguine ripas.
Sic paſſim, medio mari
Gentem ſquamiferam ferox
Delphin mactat, & horridâ
Miſcet æquora clade.
Tu curru celer incito
Nunc in Africa, nobiles,
Nunc in littora proferes
Palæſtina triumphos:
Nunc Indum meditaberis,
Nunc movebis in Armenos,
Nunc victor medijs feres
Pulchra Lilia Parthis.
Sic Delphin celer, omnibus
Momento volitat fretis,
Nunc hos, nunc alios ſecat
Pinnâ præpete fluctus,

Tu fortes facili ſenex
Francos imperio reges;
Et quò laurigeræ vocant
Pacis otia, duces.
Sic vaſto catulos vigil
Comes proſequitur mari
Delphin, nec patitur vago
Solos ire profundo.
Tu poſt prælia, muſicâ
Tractabis citharam manu,
Et Muſis, & Apollini
Eſſe carus amabis.
Sic muto lepidæ placent
Delphinum generi fides,
Et Pandionias amant
Dorſo ferre volucres.
Salvete ô liquidi leves
Delphini maris incolæ,
Et ſemper-placido dies
Lætos vivite ponto.
Salve tu quoque Francici
Delphin æquoris, & tuo
Vitales face vivere
Hos Delphinas honori.
At cum Cæſareos tibi,
Romanus Pater, & Sacri
Senatus Capitolij
Deſtinarit honores;

Vexillis abeat biceps
Ales Imperialibus:
Et formoſior in novo
Natet ſtemmate Delphin.





CORONÆ.

O semper-juvenes Iove
  Prognatæ patre Virgines,
O formosa biverticis
  Iugi Numina Musæ,
Quâ vos cumque decemplicis
  Cœli parte, faventium
  Felices epulæ tenent,
  Choreæve Deorum:
Seu magis teneris libet
  Pindi illudere floribus;
  Aut vitare sub arduis
  Cœli incendia fagis:
Seu doctâ fide tinnulis
  Insultare volucribus;
  Aut molles Heliconio
  Crines fonte lavare,
Adeste, & cupido, mei
  Si fors gratia carminis,
  Si lyræ placuit nitor,
  Duces este Poëtæ.
Et novos calatho date
  Flores ubere; dum novis
  Illustres paro versibus
  Coronare Coronas.

Et veſtris etiam vetus
Hic labor fuit otijs;
Lauro implectere floreas,
Vatum præmia, Sertas.
Sed quis primus amabilem
Coronæ docuit modum?
Claravitque micantibus
Magna nomina Sertis?
Nam qui prima biverticem
Ianum dixerit, aut catum
Non aſpecta Prometheum
Terris ſerta dediſſe;
Coronæ pretium malo
Vates carmine deteret.
Quæ gratâ fuit omnium
Manu texta Deorum.
Certe cum crepitantibus
Crebri fulminis ictibus
Caſtra Iupiter in fugam
Gigantæa dediſſet.
Minantéſque minantibus
Montes montibus additos,
Imas Vltor in æquoris
Dejeciſſet abyſſos.
Æternísque tumentium
Colla torva Rebellium
Vinclis, & ſtygio reos
Damnaviſſet Averno.

Illuſtrem, ſtudio pari,
Divorum agmina Principum,
Re geſta bene, vindici
Texuere Coronam.
Immortalibus inſolens
Ornatus placuit Deis:
Formoſæque cupidine
Sic arſere Coronæ:
Nuſquam ut conſiliantium
Frequens concio Cœlitum
Vocato ſedeat, Iovem
Secutura Senatu:
Nec cæcas ſcicitantibus
Sortes vatibus explicent:
Aut Regum veniant preces
Annotare paventum;
Rogatíque nocentium
Cladem avertere peſtium
Centeno ſaturâ bove
Conviventur in arâ:
Quin albas ſacra veſtiant
Circùm tempora tænias,
Et ſuis caput induant
Immortale Coronis.
Inde nunc viridantibus
Gaudet tempora laureis
Phœbus; nunc radiantibus
Coronare Pyropis.

Inde serta sequacibus
Contexta ex hederis placent,
Nec minus tibi viteæ
Placent Bacche Coronæ.
Te Conjux Iovis, & soror
Iuno, pampineæ juvant:
Te frugum Dea, spiceæ
Isidémque Coronæ.
Cypris candida tæniâ
Sibi tempora myrteâ:
Pallas tempora pallidâ
Coronabat olivâ.
Gemmato madidum Pater
Neptunus diademate
Ornavit caput; aureâ
Dives Pluto Coronâ.
Vt Pomona recentibus
Pomis tempora; sic novis
Odoros sibi floribus
Crines Flora coronat.
Olivaster Olympicus
Victori placet Herculi,
Vel nexæ ex apio placent,
Populove Coronæ.
Vos micantia floridi
Veris dona, Heliconides,
Et stellata rubentibus
Rosis serta coronant.

Sed

Sed quò Pompa precantium
Victimaria supplicum
Procedit, redolentibus
Infulata Coronis?
Quò se linigerûm pij
Ferunt Sacrificûm chori,
Cincti tempora laureis,
Cincti colla Corollis?
Sed quò ducitur aureis
Decens hostia tænijs?
Quid circùm nitidis micat
Pinguis ara Coronis?
Ad magnos adeunt Deos,
Vt pacem, & veniam petant,
Et voti meritum in suis,
Ponunt, spemque Coronis.
Tantùm mundi-potentibus
Charæ Cœlitibus placent,
Et dant supplicibus, Deo
Gratis esse Coronæ.
Cum Pandora epulantium
Mensâ divite Cœlitum
Non postrema recumberet,
Omnibúsque micaret
Collatis opibus Deûm,
Convivis neque dum tamen
Tot venusta decoribus
Sat Pandora placeret.

Vos crinem Charites rosis
Coronastis olentibus,
Vt mundo decus adderet,
Gratiámque Corona.
Sic, cùm nec Superis satis
Placerent sua munera;
Gratiosa dedit decus,
Et placere Corona.
At te quis tacitam sinat,
Quæ Christi venerabile
Punxisti caput horridô
Texta vepre Corona?
Sed profana sile, neque
Tantorum rea criminum,
Illotis manibus sacram
Tracta Musa Coronam.
Olim, cùm tibi purior
Flamma fulserit, inclytam
Pulchro lumine fas erit
Illustrare Coronam.
Nunc ista ad citima evocant
Te solemnia Principum
Serta sceptripotentium,
Victorúmque Coronæ.
Terrarum dominis caput
Candens fascia Regibus
Nupsit; post etiam aureas
Admisere Coronas.

Et quos Roma potens, Patrum
Consulto sapientium,
Reges sciuerat, auream
Dabat ferre Coronam.
Sive clarus Olympia,
Sive Pythia vicerat;
Seu pares Nemeâ pugil,
Seu dejecerat Isthmo,
Sertis tempora frondeis,
Gloriæque perennibus
Ornabat patriam domum,
Patriámque Coronis.
Nec caput modò frondibus
Plaudens Pisa, sed & suâ
Victrices pugilum manus
Coronabat Olivâ
Qui rem cumque Quiritium
Forti milite gesserat,
Famosàsque subegerat
Cæsis hostibus urbes:
Circum tempora laureâ
Cingebatur adoreâ;
Micabâtque virentibus
Vrbs effusa Coronis.
Servato, meruit salus
Civi præstita, Civicam;
Rostratam ratis hostium
Primùm ascensa Coronam.

Suas, qui prior hosticos
Expugnaverat aggeres,
Aut muros superaverat,
Induére Coronas.
Qui Dux obsidiantium
Castra averterat agminum,
Clarus gramineam tulit
Pexo crine Coronam.
Qui felicia deditis
Bella gesserat hostibus,
Et victos sine sanguine
Subjugarat, Ovalem.
Turbis arma crepantibus,
Galli tempora mollibus,
Et fusas humeris comas
Adstrinxere Coronis.
Cum Spartana nitentibus
Pubes horrida spiculis,
Refixísque micantia
Irent agmina signis:
Matrum turba canentium,
Inter oscula, fortibus
Ingentes animæ, dabant
Scuta grandia natis.
Miscentes muliebribus
Verba hæc mascula basijs,
Aut istud refer, aut super
Isto, Nate refertor.

Illi talibus inciti,
Cingebant viridantibus,
Certi vincere, tempora,
Caſsidémque Coronis.
Præſagíſque canoribus,
Victorum ſimiles, ſuos
Ornabant, & adoreis,
Ante bella, triumphos.
Quem ſors cumque calentibus
Strategum dederat ſcyphis;
Florentem tulit ebria
Inter prælia Sertam.
Feſtas conjugijs, roſæ,
Verbenæque, & olentibus
Myrtus mixta ſiſymbrijs
Suffecere Coronas.
Coronam tulit, unius
Quæ poſt funera conjugis,
Infido verita eſt ratem
Rurſus credere ponto.
Poſt amica rhapiſmata,
Novis Roma Quiritibus
Gratam cum Pileo dedit,
Prætextâque, Coronam.
Vitâ caſſa cadavera
Mœſto funeris ambitu,
Coronata madentibus
Extulere ferêtris.

D d

Impexum viridi Lacon
  Crinem cinxit arundine:
  Et Carem, & Samium salix
  Amerina coronat.
Potentes opibus Macæ,
  Et felix Arabum genus,
  De comâ, sibi pendulas
  Totondere Coronas.
Quantum est undique gentium
  Terræ terga terentium,
  Nullæ non sibi flexiles
  Texuere Coronas;
Quis vero aut hominum, aut Deûm,
  Non amet viridantibus
  Circùm tempora molliter
  Inumbrare Coronis?
Cum toto nihil uspiam
  Exstet orbis in ambitu,
  Non insigne decentibus
  Vndequáque Coronis.
Cœli (quâ sibi fulgida
  Dij fodere palatia)
  Totum hoc Omne decemplici
  Sepivere Coronâ:
Cœlos aurimicantibus,
  Cum surgens creperam nigris
  Nox alis operit diem,
  Cingunt Astra Coronis.

Flammis aëra mitibus
Aether; Oceanum vagis
Aër spiritibus; Mare
Terram humore coronat.
Vrbes, gloria turrium,
Firmitásque frequentium;
Et gratâ pueri domum
Venustate coronant.
At te candida, gentibus
Fœta belli-potentibus;
O Clarissima fortium
Altrix Gallia Regum,
Hinc utrinque sonantibus
Coronat mare fluctibus;
Hinc Alpina iuga, hinc iuga
Pyrenæa coronant.
Sed pulcher magè fortium
Coronat decor Vrbium;
Et crebræ super ultimis
Regni finibus Arces.
Qualis fertur in Africis
Incessisse leonibus,
Turritâ Berecynthia
Frontem cinctâ Coronâ;
Talis Francia, tot datis
Mater maxima Regibus,
Formosis caput Vrbibus
Coronata superbit.

Europæ ſtupor, inclyti
Regum ſede Pariſij,
Et Franci caput Imperl
Summâ in fronte renident:
Micat proxima, quæ Iovem,
Quæ, quondam rea, Palladem
Nunc verum pia, candido
Colit Numen in Agno:
Potens mœnibus, ambitu,
Portis, gymnaſijs, foro,
Delubris, Capitolio,
Senatúque Toloſa,
Salve quæ Cineres ſacros,
Quæ nitentia Cælitum
Cingis ſemper-olentibus
Circùm Altaria ſertis.
At te regificâ, Patres
Conſcripti, ſapientium
Conſtantes animæ ſenum,
Majeſtate Coronant.
Felices, quibus incito,
Qui Solem rotat impetu,
Partitur ſua regiæ
Deus jura Coronæ.
Nam quicquid ſupero tonat
Vindex Numen in æthere,
Vos terris itidem genus
In mortale poteſtis.

Vos

Vos nunc Pernicialibus
   Reos figitis ignibus,
   Nunc tantùm Monitorijs,
   Consultísque tonatis.
Vos magnæ sola Gothiæ
   Humani regitis Ioves,
   Et Novem-populonias,
   Priscis moribus Vrbes.
Vos illustria dicitis
   Cæcis jura Clientibus:
   Æternásque perennibus
   Leges scribitis æuis.
SAt plectro & fidibus datum,
   Parce floribus, & tuis
   Musa versibus, auream
   Hic impone CORONAM.
Cœlestem prius, igneis
   Quæ stellata nitoribus
   Surgit, sidereo, cole,
   Cum Delphine Coronam.
Fallor, an gemino novum
   Sidus lumine splenduit?
   Et nostras propiùs venit
   Illustrare Coronas?
Agnosco procul aureas
   Lucis Borboniæ faces,
   Et Francæ video decus,
   Nitorémque Coronæ.

Salve candida, quæ caput
Thuſco tollis ab æquore,
Et pulchros nitido facis
Dies ore Corona.
Salve ſceptripotentium
Auguſtiſſime Principum,
Quem Franco tulit Auſonis
Heroïna Quirino.
Tu fortiſſima Maximi
Geſta Regis, & inclytas
Franci Martis adoreas,
Fortunámque Coronas.
Tu Delphinule Gallici
Salutem regis imperI,
Et ſacrum nitidâ tegis
Auguſtale Coronâ.
Tu Regum genus; inclytos
Gentis Borboniæ Duces,
Et Albretia nomine,
Et Fuxæa Coronas:
Inde & tergeminæ tibi
Dum vitalia ducerent
Parcæ ſtamina, triplicem
Texuere Coronam.
Hæc Sertum tibi Gallicis
Textum Liliolis dedit;
Flores altera Cantabros,
Navarræque Coronam:

Illa Cæſareâ caput
  Lauro veſtiet, & ſacram
  Romani dabit ImperI
  Olim ferre Coronam.
Sic erit : tabulis Deus
  Scripſit fata perennibus,
  Et Cœlo parat ultimam
  Inter aſtra Coronam.




EIDEM KALENDÆ IANVARIÆ
IN CHRISTI IESV CIRCVMCISIONEM
EIDYLLIVM.

IAM pulcher roſeâ face
Octavam retulit diem
Mundo Lucifer, aureos
Lotus æquore crines.
Et priſco Abrahamitidûm
Ritu, lacteolum parat
Cultro ſacrificus rudi
Circumcidere Chriſtum.
Crebros euge Leuitidæ
Circùm incendite cereos;
Vos cunabula ſerico
Paupertina tapete,
Vos præſepe recentibus
Superſternite linteis,
Dum ſacris operabitur
Caſtus ritè Sacerdos.
Tu pulcherrima Virginum
Mater, ſi placitum eſt, ſine
Tibi de gremio rapi
Iuſta ad ſacra Puellum;
Et ſuaviſſima ſuſtine
Tantillum oſcula, dum pius
Securâ peraget manu
Munus triſte Sacerdos.

Et

Et longis licet impleat
Infans aëra questubus,
Honestas lacrymabili
Madens flumine malas,
Tu siccis oculis tamen
Sta, ne tristia acerbiùs
Ferat vulnera: nam tuo
Totus pendet ab ore:
Nec illi magis aspera
Cutem vulnera sauciant,
Quàm Matris lacrymæ gravi
Cor dolore cruentant.
Nec longus fuerit tibi,
Nec longus Puero dolor,
Ancisus placidè tuis
Mox pendebit ab ulnis.
En ut delicias tibi,
En ut blanditias facit,
Et turgentia lacteâ
Premens ubera dextrâ,
Nunc post basia, mollibus
Per ludum digitis terit,
Nunc dulces sitiens sacri,
Ducit nectaris haustus.
Sed iam purpureo sinu
Dium compositus caput,
Blandum concipit ebrius
Puro lacte saporem.

Tacete obstreperi mala
Vatis carmina, parcite
Infanti liquidum rudi
Sono rumpere somnum.
Quid malum, rapidis strepit
Vicinum nemus essedis?
Carrucæque gementibus
Miscent murmura canthis?
Ephratam venit incitis
Delphin Borbonides equis,
Vt nato tua cernuus
Pendat munera Christo.
Aude Mater, amabiles
Manu molliter excita
Cunas, & puero levem
Frange voce soporem.
Vides, ut vigil aureos,
Votum Principis, aspicit
Delphinos placidè Puer,
Et flabella pyropis
Liliata frequentibus,
Manu tangere gestiens?
Vides, ut facili sacras
Voces audijt aure?
Delphinóque tenellulas,
In caput posuit manus;
Et risit pia Regiæ
Figens oscula fronti?



LES DAVFINS DV LATIN DV P. VITAL THERON.

Par le commandement du ROY.



N quel lieu du monde humide
Nymphes des eaux voulez-vous,
Que ie vous suive timide,
Par les flots pleins de courroux?
Et sur leur dos infidele,
Que i'aille un rocher trouvant,
Blanchy d'escume eternelle,
Où ie devienne sçavant?

Adieu donc troupe importune,
Muses, iadis mon bon-heur,
Des hostesses de Neptune
Ie reçoy bien plus d'honneur :
Vos couronnes inutiles
Desia pour moy transformans,
Et vos lauriers infertilles
En perles, & Diamans.
Ie voy desia, que l'on bride
Pour moy des chevaux aislez,
Qui de la plaine liquide
Traversent les flos salez :
De leur dos ie voy l'areste,
Dessus l'onde paroissant ;
Ie voy leur camuse teste,
Pour m'escouter se haussant.
Dieu vous gard troupe legere,
Daufins des eaux adorez,
Troupe d'amour messagere,
Qui dans vos palais dorez,
Regnez sous la mer profonde,
Venez, prestez vostre dos,
Et promenez dessus l'onde
Celuy qui dit vostre los.
Vous avez ausi coustume
D'aymer les sçavantes Sœurs,
En la marine amertume
Vous cherissez leurs douceurs ;

Arion

Arion en ſert de preuve
Sauvé des avares mains,
Qu'en vous plus d'amour ſe treuve
Que dans les cœurs des humains.
Tu t'en allois en ton Iſle,
Arion, content du bien
Acquis par ta main ſubtile
Au rivage Italien:
Et ſans prevoir les deſaſtres,
Dans ton vaiſſeau glorieux,
Sans plus la mer & les aſtres
Apparoiſſoient à tes yeux:
Quand les Mariniers barbares,
Çà & là t'environnant
De tes richeſſes avares,
Vont de la mort t'eſtonnant.
O Dieux de l'humide Empire,
Et vous autres Deïtez,
Qui avez ſoin de la lyre,
Deſtournez ces cruautez.
Qu'euſt-il faict le miſerable,
D'effroy tout paſle & tranſy,
De la troupe inexorable
N'attendant point de mercy?
Non dit-il; non ie n'évite
Nochers vos mortelles lois,
Mais que du Lut que ie quitte
Ie jouë encore une fois.

Alors il prend ſa couronne,
Faite d'un fueillage ſaint,
Il prend ſon Lut qui reſonne,
Ioint à ſa voix qui ſe plaint,
Au Cygne mourant ſemblable,
Qui ſur les rivages cois,
D'une gorge pitoyable
Pouſſe la vie & la vois.
La mer de pitié contrainte,
Et les vents & les rochers,
Tout s'eſmeut à ſa complainte,
Fors les parjures Nochers:
Leur troupe qui ſe courrouce,
(Que le Lut n'a peu charmer,)
D'une main profane, pouſſe
Et Chantre, & Lut dans la mer.
Las! ô bande ſecourable,
Venez preſter viſtement,
A ce Vieillard venerable
Voſtre piteux Element.
Voila qu'un Daufin ſouſleue
Le Chantre deſeſperé,
Le portant iuſqu'à la greve,
D'un poids ſi doux honoré.
O Trouppe ſainte & piteuſe
Envers noſtre humanité,
En la fortune douteuſe
Paroiſt voſtre pieté.

Des vents vous prevoyez l'ire,
Apprenant aux matelots,
Qu'il faut armer la navire
Contre la fureur des flots.
Car si tost que la tempeste
Emeut les ondeux sillons,
Et comme en hyver apreste
Mille venteux tourbillons;
Vos bandes avantureuses,
Sautant par dessus les mats,
Parmy les eaux dangereuses
Exercent mille combats.
Les Mariniers aussi craignent
De vous faire quelque mal;
Si l'vn de vous ils atteignent,
Sauvant le saint animal,
Qui dans leurs rets se rencontre,
Ils ne l'osent pas toucher,
Estimant un mal-encontre,
Seulement de l'approcher.
Que les cruels qui vous mangent
Ne quittent iamais le port;
Car les autres Daufins vengent
De leurs compagnons la mort;
Hazardeux, qui les coulpables
Entre mille trouveront,
Et leurs vaisseaux detestables
Dessoûs l'onde abismeront.

Mais qui seront les perfides,
Qui foüillans au sein des eaux,
Oseront des Nereïdes
Toucher les sacrez troupeaux?
Et faire aux Daufins la guerre,
Qui ont plus parfaictement
Que les bestes de la terre,
D'usage & de jugement?
Si de la nasse ils eschapent,
Iamais les pescheurs plus fins
En leurs filets ne r'atrapent
Deux fois les mesmes Daufins.
Seulement amour les pique,
Dont l'on faict mille discours,
Et du rivage Lybique,
Et de leurs Grecques amours.
AV temps que la Canicule,
Et la Vierge aux yeux ardans,
Vont sur la plaine qui brusle,
A plomb leurs rayons dardans,
D'entre les forests espesses
On vit un jour arriver
Vn Enfant aux blondes tresses
Sur le bord pour se laver.
Desia sa robbe il despoüille,
S'estimant estre seulet,
Et dedans l'eau claire moüille
Ses pieds aussi blancs que lait:

Il

Il moüille desia sa banche,
Puis tout à plat se jettant,
Sa main delicate & blanche
Coupe le marbre flottant.
Vn Daufin void d'adventure,
Nageant aupres de ces bords,
Ce chef-d'œuvre de nature,
La nege de ce beau corps;
Il voit de son front la gloire,
Où mille graces estoient;
Il voit sa gorge d'yvoire,
Où mille amours s'ébatoient.
Il brusle tout, & s'approche,
Rien ne le peut retenir;
Il veut de sa teste croche
Le menton luy soustenir.
A l'abord l'enfant volage
De la beste s'estonnant,
Tout craintif, vers le rivage
Alloit desia retournant.
Où vas-tu petit folastre?
Vn monstre ne te suit pas,
C'est un Amant idolatre,
Dont tu ne fais point de cas;
Aux Dieux marins estimable,
Qui le daignent advoüer:
Viens donc sur la beste aimable,
Parmy les eaux te joüer.

Voyez l'enfant dessus elle,
Sans peur la tempeste ouïr,
Voyez la beste fidele,
D'un pois si doux s'esioüir.
Mais mignon tu ne presage,
Qu'une areste en te blessant,
Va les beaux jours de ton âge,
Et tes amours finissant.
O loy du destin trop dure!
Au moins Daufin mal-heureux,
Conduis à la sepulture
Le corps de ton amoureux.
A la mer autour sanglante,
Il cognût asseurement,
Et à sa charge tremblante,
La mort de son bel Amant.
Helas! sa douleur extreme
Trouve si peu de compas.
Qu'il veut vanger sur soy-méme,
De son amy le trépas.
A la rive accoûtumée
Comme un trait il s'est lancé,
Posant la dépoüille aimée,
Du beau mignon trespassé.
Exemple d'une foy rare,
Au tombeau de sa moitié,
A la mort il se prepare,
Victime de l'amitié.

Depuis Amour la fleur porte,
Et le Daufin, se vantant
Par ces deux, que sa main forte
La terre, & l'eau va domptant.
Daufins du cault Laërtide,
L'escu vous alliez chargeant,
Et pour sa devise Alcide
N'eust rien qu'un Daufin d'argent.
De vous la Grece sçavante
Feit de jeux à vostre nom,
Pour avoir sauué Phalante,
Thelemaq & Palemon.
Vitel, Auguste, & Tybere,
Dont les noms furent si craints,
En leur monnoye ordinaire
Les Daufins avoient empraints.
Ie ne passe sous silence
Toy qui cher les achetois,
Et d'une rare clemence,
Dans la mer les rejettois.
De ton amitié si sainte
Le souvenir ne mourra,
Au besoin prés de Zacinthe
Leur troupe te secourra:
Et à ton heure derniere
Les Daufins t'assisteront,
Qui dolents prés de ta biere
De l'eau dessus jetteront.

Mais qu'entends-je, ô troupe chere,
Quels obseques puis-je voir?
Sont Daufins, qui à leur Pere
Rendent le dernier devoir:
Portans le mort regretable
D'une piteuse façon.
Passant jette un peu de sable
Sur le corps de ce Poisson.
Prens les deux dents de sa bouche,
Et quand les enfans criront,
Si le mal des dents les touche,
Celles-cy les gueriront:
Prens le cuir & le conserve,
Fais-le coudre en des ballons,
Sur la mer tu rendras serve
L'halaine des Aquilons.
Tais-toy babillarde Muse,
I'oy le Daufin sommeiller;
Garde que ta voix confuse
Ne le face reueïller:
De ses ronflantes narines
Vn bruit au large faisant,
Il dort par les eaux marines,
Sans repos se reposant.
Car une sale paresse
Ne le sçauroit retenir,
Dez que le sommeil le presse,
On le voit sur l'eau venir;

De là, languissant il coule
Au fonds, & dort cependant:
Puis il remonte, & se roule,
Ne dormant qu'en descendant.
Aussi qu'aucun ne s'amuse,
Ny à son œil enfoncé,
Ny à sa teste cameuse,
Ny à son dos herissé
Qu'une couleur perse émaille:
Il faut croire fermement,
Qu'il cache dessous l'écaille
D'un homme l'entendement.
Bacchus faisant un voyage,
Sur la mer Thyrrenne estoit;
Et pour payer le Naulage,
Aux Nochers des vers chantoit:
Il leur ventoit le merite,
Les yeux, la grace & le teint,
Et la rigueur d'Amphitrite,
Et Neptune au cœur attaint.
Et comme aux humides places
Neptune amoureux cherchoit,
Et dans les cavernes basses
La belle qui se cachoit:
Les Daufins la rencontrerent,
Que sa fuite n'abusa
Car sur l'heure ils la monstrerent
A l'Amant qui l'espousa.

Bacchus auec ſa parole
Met les Nochers en erreur,
Et l'erreur qui les affole
Les faict entrer en fureur:
Sans que la peur les eſtonne
Dans l'onde ils ſe ſont jettez.
Pere ne les abandonne
Parmy les flots agitez.
Le Dieu qui ſiens les advoüe,
En Daufins les convertit;
Leur dos, leur teſte, & leur joüe
D'écaille verte il veſtit:
Leur met aux coſtez des aiſles,
Dont ils cherchent inconſtans
De leur barque des nouvelles,
Tous les Vaiſſeaux acoſtans.
Quand une voix ils entendent,
Touchez du ſon raviſſeur,
Auprés des nefs ils ſe rendent,
Suivans des chants la douceur.
Ie voy qu'ils preſtent l'oreille,
Venus en troupeaux divers,
Pour écouter la merveille,
Qui ſort de l'air de mes vers.
Mais ie ne puis recognoiſtre,
Ce Daufin bien fortuné,
Que ſur tous ie voy paroiſtre,
De grands lis d'or couronné.

Ha ie voy par les auspices
De ces lis, sacrez au Rois,
Que les Dieux veillent propices
Dessus l'Empire François.
Ainsi des Dieux la sagesse
Fit naistre un Daufin nouveau,
De la Toscane Deesse,
Aux lieux surnommez d'une eau.
Les sorts au cœur insensible
N'osent plus estre que bons,
Croissant la race invincible
Des magnanimes Bourbons.
Dieu vous-gard le Fils Auguste
D'vn Roy le plus triumphant,
Le plus vaillant, le plus juste,
Que Phœbus aille échauffant.
En vostre enfance premiere,
Dessus les eaux commandant
Daufin vostre main guerriere
Tiendra des mers le Tridant.
Vous rendrez la mer trempée
Au sang de l'Anglois leger;
S'il irrite vostre espée:
Où vous irez saccager
L'orgueil du Soldat Ibere:
Ainsi voit-on chez Thetis
Le Daufin brave en cholere,
S'émouvoir pour ses petits.

Sous vos loix ie voy rangée
L'audace des Ottomans;
Ie voy les bords de l'Egée
Blanchir de leurs ossemens:
Ainsi l'indompté courage
Du Daufin paroist au jour,
Qui de meurtre & de carnage
Soüille les flots d'alentour.
Vous conduirez vos armées,
Tantost sur les bords du Nil,
Aux campagnes Idumées,
Dans les Isles du Bresil,
Au Parthe, au More, & au Perse:
Ainsi coupe en vn moment
Le Daufin la vague perse,
D'un eternel mouvement.
Puis Vieillard en un temps calme,
Vos peuples vous regirez;
Et sans soucy d'autre palme
De la paix vous joüirez:
Ainsi l'amour vehemente
Le Daufin tellement point,
Que parmy l'onde escumante
Ses fils il n'éloigne point.
Et quand vos fatales armes
Vous donneront du loisir,
Des vers & du lut les charmes
Seront tout vostre plaisir:

Ainſi la voix delectable
Si bien le Daufin deçoit,
Qu'aux Roſsignols accoſtable
Sur ſon dos il les reçoit.
Mille fois ie vous ſaluë
Daufins des eaux habitans ;
Voſtre bande bien vouluë
De ce Grand, vive long-temps :
Et Vous Grand Daufin encore
Je vous ſaluë à genoux ;
Faites que le Peuple honore
Ces Daufins qui ſont à vous.
Puis quand le deſtin proſpere
Vous donnera le bon-heur,
D'eſtre appellé du ſaint Pere
A l'Imperial honneur,
Dit Auguſte entre les Princes,
Metez les Aigles à bas,
Portant aux ſerves Provinces.
Les Daufins en vos combats.

MOTIN.

FIN.

